






Praschi
de
Caritat
II
6
149










XXX
PRASCH



# JO. LUD. PRASCHII
## DE
# CARITATE PATRIÆ
## LIBER,
AD
*SEREN. ELECTORIS SAXONICI,*
*ET PRINCIPIS ALTENBURGICI*
## LEGATOS,
*RATISBONÆ HOC TEMPORE*
AGENTES.







NORIBERGÆ

LITERIS ET SUMTIBUS MICHAELIS ENDTERI,
A. S. cIↃ. IↃc. LXII.

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONICI,
JOANNIS GEORGII II.
*AD PRÆSENTEM DEPUTATORUM CONVENTUM*
LEGATO SPLENDIDISSIMO,
# DN. AUGUSTINO STRAUCHIO,
JC. COM. PAL. CÆS. A CONSILIIS SECRET. ET APPELLAT. ET FACULTATIS JURID. WITTEB. ORDINARIO SPECTATISSIMO:
ET
*SERENISSIMI PRINCIPIS SAXONIÆ,*
FRIDERICI WILHELMI
LEGATO ITIDEM SPLENDIDISSIMO,
# DN. JOANNI THOMÆ,
JC. CONSILIARIO AULICO, ET PRÆSIDI CONSISTORII ALTENBURGICI:
*VIRIS MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, ET CONSULTISSIMIS,*
DOMINIS ET PATRONIS, SUMMISSE COLENDIS,
JO. LUDOVICUS PRASCHIUS.

Esse meum rebar, quem feci, jure libellum:
Docta sed indocto dicere visa Themis:
Fallit te ratio: pretiosæ cedere debet
Materiæ nulla nobilis arte labor.
STRAUCHIUS ergo ferat, ferat ista volumina THOMAS:
Illorum est patriæ cura perenne bonum.

*Ad elegantem eruditissimi hujus libelli*

AUCTOREM

# JO. JAC. KERSCHERI

## SILVA.


QUis civem neget esse bonum, cui dulcior una
Materia est, leges sacri quæ pandat Amoris
In Patriam, & studium natalis suscitet urbis?
Hinc cœpisse juvat, hinc exordia laudi,
Deque secuturis primum petiisse triumphis.
En pietas, nostri rarissima moribus ævi,
Exemplumq; ingens, meritum virtutis honorem
Cui rapuisse nefas! *carpent tua poma nepotes*
*Daphni*, atq; inferior deinceps his frugibus ætas
Gaudebit pepulisse famem. Vah! quanta per Orbem
Te mox fama vehet! quo non celebraberis ore,
dilectum nimium Musis caput! I mea, specta,
Patria, tam pulcras curas, ac plena laboris
Otia: quum reliquæ noster se denegat urbi,
Tunc totus vacat ille tibi; tunc unicus illi
Ardor es, insomnisq; tuos meditatur honores.
Quæ quibus anteferam? Quod consuetudine sola
Non tam dulce tuum quicquam, quam legibus esse
Naturæ debere probat, quod jure revinxit
Hos stimulos, nobis quos omnibus admovet ejus
Nuda soli facies, cujus primo aëra parvi
Hausimus, & tremulis libavimus æquora plantis:
An, quod ad obsequium cives invitat amicum,
Et clypeis populi dextras, non ensibus, armans,
Vult pacem didicisse pari, votisq; benignos
Exoptare duces, & qualescunq; vereri.
Mutua quod rursum, ut patriæ tractura ruinam,
Incusare odia, ac animis tam dulce videmus,
Fœderis admonitu socialis, pellere virus,
Quantum laudis habet! quantum, cervicibus almæ
Libertatis eos, rerum queîs cura potiri,
Submovisse gravi perstrictos fulmine juris,
Quod patria plus posse vetat! Succumbo, fatebor,
Narrandis, quæ plura refert pretiosa legenti
Pagina, nec nostrum est humili sublimibus orsis
Respondere lyra. Nunc hoc modo dicere fas sit:
Quisquis ad has epulas accesserit, inde recedet
Nec satur, atq; frequens illo conviva redibit.

SÆpis-





ÆPissime legitur in eruditorum voluminibus caritas patriæ: neq; est fere quicquam officii, quod non uberrimo isto nomine concludere videantur. Idem in rep. dominantes, eorumq; administri, quibuscunq; negotiis, quasi pompæ ferculum, præferunt: idem in scholis declamationes puerorum, in foro aniculæ olera vendentes cerdonesq; crepant. Sed vereor tamen, ut omnes, etiam inter litteratos, satis intelligant, quid sit, quod sermonibus ferunt. Quapropter videant, quibus hæc trita & liquida forte existimabuntur, quod cavere sedulo monet Cic. in de Offic. I. *ne incognita pro cognitis habeant, hisq; temere assentiant*. Id nunc opere magis, quam verbis ostensuri, investigabimus, quid sit ergo caritas illa patriæ; atq; ita, ut vocabula primum, exin rem ipsam tenebris suis evolvamus. De laboris utilitate integri animi judicent: quos exoramus, ut si qua intervenerint frivola & manca aut inopinabilia, mediocritati ingenii veritatisq; studio condonent.

Principio igitur, quid sit patria, curiosius expendamus: quod vel in foro plurimum refert nosse. Et quando cujuslibet voçis potestas duabus pendet ex rebus, ori-

gine & usu; de illa statim exponamus, & patriæ velut natales inquiramus. Inquiramus vero? tanquam hoc sit obscurum, quod vox patriæ habeat patrem, ut ita dixerim, nomen ipsum *patris*. Ergo *patria nomen natura adjectivum, cum quo subauditur terra*; *sed usu substantivum: ut Livius, Neapolis mihi materna patria est*: quod recte animadvertit Mariang. à Fano Bened. ad Gramm. Philos. pag. XXXIV. *Patria autem vocata, quod communis sit omnium, qui in ea nati sunt, parens*. Est hæc ratio Isidori, Orig. XIV, V. cui favet quodammodo Cretensium *matria*. Sed mihi credibilius, patriam ex eo nominari, quod plerunq;, ubi in lucem hanc edimur, ibi est patris civitas. Qua cum appellatione lingua vernacula mirifice conspirat: vulgares enim illam, ex qua natæ sunt, sequuntur. Liceat idem dicere de Græciensium voce, πατρίς: quæ cum terræ sit nota, muliebri genere merito enuntiatur. Ingeniosior enim, quam verior, commentatio Hieroclis apud Stobæ. Serm. CLVII. *Est enim patria, per Jovem*, inquit, *velut alter quidam deus, & primus maximusq; parens. Quocirca qui nomen posuit rei, non inscitum posuit, flectens à patre quidem, sed terminatione feminina: quo mixtum esset tam ex patre, quam ex matre*. Sed ut patria nomen est aliunde natum, ita ex ejus fecunditate Romanis nata sunt alia; veluti *patrius*. Nam hoc idem vocabulum & originem dedit patriæ, & ab ea cepit; adeo ut in duplicem pateat intellectum. In-

de

de *patrii dii*, *patrii mores*, & apud litteratores *patrium nomen*. Etiam *patritus*, ac eodem sensu, legitur: sic enim ex Varrone Non. Marcellus, cap. II. *secundum leges habitasset patritas*. Sed *patriota*, vocabulum auribus sæculi non ignotum (à quo *patrioticas possessiones* duxit Cassiodorus) barbarum est, Græcis quoq;, si valet πολίτην; ut ex Pollucis Onomastico didicimus. Nobis enim civis indigitatur, aut popularis: quod quidem & aliam vim significandi sustinet. Deridiculum igitur faciunt, qui apud Ulpian. l. 1. §. XII. de offic. præf. urb. *populares* explicant de civibus. Fuerunt enim, ut bene vidit perspicacia Gothofredi, quatuor factiones agitatorum in Circensibus Romæ; Veneta, prasina, albula, russata: ad quas auratum purpureumq; pannum addidit Domitianus. Græci δήμους appellant: de quibus vetus & prolixum cernere est monumentum Romæ, in ædibus Cecchinorum.

Jam si, relicta originatione, loquendi consulamus usum, multa equidem sub inscriptione patriæ venditantur: quæ judicio secrevisse paris circumspectionis est & artis. Taceo, quod hoc nomen alias proprium est regionis, alias appellativum. Forum enim Julii Italis *Patria di Friuli, & simpliciter, la Patria; ex barbari scil. sæculi usu, quo patriæ vocabulum usurpabant pro terra sive regione*. Ita Cluver. Ital. antiqu. I, XX. Eodem nomine Liternum villam aliquando notatam putes. Specula certe,

quæ

quæ manet, nuncupatur *la Torre di Patria*, teste iterum Cluver. IV, II. & alijs; idq; ob ea, quæ consignavit Andr. Scotus, Itin. Ital. parte III. pag. LVII. Sed tunc promtius aliquanto in errorem induit, cum appellatiyum est, patria: interdum enim in figuram abit, interim nativum sensum retinet. Ex figura dicitur, cum transfertur ad res commodas & caras; eo quod nomen patriæ, nomen est amoris. Freinshemius, Indice in Flor. voce, *patria: Patria altera, urbs caritate proxima post veram patriam.* Exempla idem subjungit: in quibus hoc Trojani ducis, Æneid. XI. *quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo.* Id nove dici, quidam addunt. Geminum est ejusdem illud, Æn. I. *Italiam quæro patriam.* Significaverit igitur Æneas locum vehementer optatum; ut vel *quærendi* verbum admonet. Quo trahimus illud ἐξηγητικὸν, Æn. VI. *Hic amor, hæc patria est.* Nisi locum præferas intelligere, *sedes ubi fata quietas Ostendunt.* Cui affinia rursus illa, Æn. VII. *Hic domus, hæc patria est.* Ea mente Phocylides *orcum* (uti nos cœlum, in quo & πολίτευμα nostrum dicitur esse) nominat patriam nostram, quem alii *communem locum.* Dissidet tamen explicatio Servii, qui patriam Æneæ dici contendit, propter *Corythum, Tusciæ civitatem, unde Dardanus* (meminit vates ipse, Æn. III.) *fuit.* Verum hæc ratio longius arcessita caveæ plausum vix meretur. Illud extra controversiam hujus est loci, quod post Teucrum

sophi

ſophi paſſim diſputant; ubicunq; benè eſt, ibi patriam inveniri: color inprimis ad eos conſolandos aptus, quos injuſto exſilio ſua ſors damnavit. Maximè autem benè debet eſſe in cœlo, in eccleſia, in loco nutrimentorum, educationis, domicilii: quare videas hæc omnia, atq; adeo terrarum orbem univerſum, in patriæ nomen cooptari. Nam ut unus tandem aut alter locus ſit infeſtus, *deeſſe nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur, non poteſt.* Atq; haud ſcio, an ſub hoc ipſo ſchemate altior lateat ſapientia, quatenus hominum communitatem nos amare totam & colere monet. Imp. Antoninus, de vita ſua lib. VI. ad rem alluſit hac diſtinctionis argutiola: Πόλισ καὶ πατρὶσ, ὡσ μὲν Ἀντωνίνῳ, μοι ἡ Ῥώμη· ὡσ δὲ ἀνθρώπῳ, κόσμοσ.

Frequentiſſime vero locum civitatis, in quam recipimur nativitate, immo etiam allectione, quæ naturam in effectis imitatur (unde Gallorum *naturaliſer*, & *lettres de naturalité*, de quibus agunt ſub tit. *du droict d'Aubaine*) patriæ vox invadit. De priori Cic. de haruſp. reſp. *Parentibus, & diis immortalibus, & patriæ nos primum natura conciliat. Eodem enim tempore & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem civitatis ac libertatis adſcribimur.* Civitati, cum de ſua maxime diſſerat, jungit libertatem: ſicut Iſocr. in laud. Helenæ, κοινὴν πατρίδα vocitat remp. popularem; in qua omnia eſſe, Otanes apud Herodot. l. III. affirmat.

Inde explico Maronem, qui de apibus, Ge. IV. *magnis agitant ſub legibus ævum*, *Et patriam* (i. e. civitatem) *ſolæ*, *& certos novere penates*. Imaginem enim βίȣ πολιτικȣ καὶ οἰκονομικȣ apibus, puto, attribuit. Quamobrem ſupervacua forſan affert ſcholiaſtes, qui *novere*, ait eſſe, *cariſſimos habent*; *ut*, *hic inter flumina nota*, *i. e. cara*. Etiam *magnas leges* non de *immutabilibus*, ſed magno imperio dignis, aut res magnas complexis intelligo.

Dixeris autem hanc, verbo Tulliano, *patriam juris*, ſive *civitatis*: quæ manet patria, ſi maxime natus in ea non ſis. Neq; enim tam reſtringitur ad generatum, quam ad generantem; ut patria filii intelligatur, civitas parentis, & quidem ejus temporis, quo ſuſcipit filium: de quo uberius Arniſæ, relect. pol. l. I. c. V. ſ. X. n. IV. & V. ubi celebrem attingit controverſiam, Carolum V. Gandavi natum. Jo. Vilani & Mariæ Mabiliæ cauſa hereditaria ex J. C. Gallicanis nota eſt. Sed in eo diſcordant gentium inſtituta, an pater, anne mater, aut uterq;, vel etiam majorum ſint alii ſpectandi? Ipſis quidem Romanis ambo primum, lege Menſia, dein potior parentum videtur placuiſſe. Quæ omnia extendit diſputatio Arniſæi, num. VI. & ſeq. Non minus verò urbs, quæ velut epitome civitatis ac fons eſt imperii, patriæ nomen induit. De urbe urbium poſt Cic. Modeſtinus, l. XXXIII. ad munic. *Roma communis noſtra patria eſt*. In qua ſententia vocem *noſtra* luculentè explicat Gothofr. Hæc nimirum

rum *regia urbs*, ſive, *unde in omnia regimen:* quam ob cauſam certa meruiſſe privilegia, documento eſt lex VI, §. XI. & XII. Dig. de excuſat.

Sicut ergo Romam (cujus ſignum vel ex nummis notum) ita patriam notavimus à Romanis deſcribi ad effigiem divæ. Nam Ovidius *numen* ei circumdat, de Pont. II, VII. *vultum* addit, Triſt. V, X. alii *vocem, gemitus, viſcera*, & his conſimilia. Lucanus, l. I. *Ingens viſa duci patriæ trepidantis imago, Clara per obſcuram vultu mœſtisſima noctem, Turrigero canos effundens vertice crines, Cæſarie lacera nudisq; adſtare lacertis, Et gemitu permiſta loqui.* Ceterum titulus iſte, ut arbitror, cum regni ſede in urbem Conſtantini poſtmodo ceſſit.

Poſt regnatricem urbem patria eſt ſuum cuiq; municipium. Ideo Nonius, ſi benè memini, finit: *Patria eſt urbs vel civitas parentum.* Dicit, *urbs vel civitas:* quo ſunt eadem hoc loco. Neq; enim, ut doctrina rerumpublicarum, utq; nos modo, de integro civitatis corpore, quod habeat in ſe τὸ κύριον; ſed populariter loquitur, atq;, ut ſolent I. C. priſcorumq; alii: quibus ἐκ παραλλήλου ponitur, *ſuum oppidum, ſua civitas, ſuum municipium.* Exaudire verò, non civitatem domicilii, ſed originis, Jus Rom. jubet, l. VI. §. I. & l. XVII. §. XI. Dig. ad municip. id eſt, ſecundum gloſſ. *originem eam, quam pater habuit ex ſe, non ex origine ſui patris.* Quod ſi verum, in hac legali patria latitabit etiam naturalis.

 Addit

Addit glossa, quod & sine scelere potuisset omitti: *alioquin oporteret nos quærere, ubi natus fuit Adam, scil. agrum Damascenum.* Civitatis autem appellatione suburbia comprehendit lex XLI. §. VI π̃. de leg. III. atq; adeo vicum, l. XXX. ad munic. Tholos. de Benef. Eccles. c. XXXVI. th. XXI. & Syntag. Jur. XVIII, XIII, XV. & villam, Nov. LXXXIX. c. II. §. II. fines deniq;, ut dictæ legis XLI. de leg. III. versus VII. arguit. *Parentum* voce accipiunt jura patrem, l. I. §. II. ad mun. nec non avum, ceu colligitur ex l. XVII. §. IX.

Seclusæ itaq; matres, l. III. cod. de municip. excepta quidem necessitate, ut si liberi vulgo aut ex illegitimo matrimonio sint quæsiti, l. I. §. II. ac l. IX. Dig. d. t. quod *ἀκύρωσ lex naturæ* dicitur, l. XXIV. Dig. de statu hom. Et privilegio: id vel commune, quale Iliensium, Delphorum, Ponticorum (i. e. Bithynorum, auctore Plinio, Epist. X, CXV. nam Bithyniam quoq; Pontum dictam lego) Ead. l. I. §. II. adde Gothofr. quæ manifestum faciunt lapsum Cl. Buchneri, ad laudatum Plinii locum. Vel est singulare, quale in l. LXII. Cod. de decur. Plura dabit Tholos. Synt. Jur. XVIII, XIII, XIV.

Seclusi etiam majores ulteriorum graduum. Ex quo facilè æstimaveris, quid sentiendum de prodigio isto (si prodigium est, quod nititur vanissima Etruscorum disciplina) fulminis, ut vocant, regalis, quod enarrat

rat Sueton, lib, II, cap, XCIV, conferendo cum ejusd, lib, cap, II, Quæ de naturalibus dixi, producuntur ad avos & parentes adoptivos l, XVII, ʃ, IX, & l, I, Dig, d, t, immo amplius ad patronos, l, VI, ʃ, ult, & leg, ſeq, item XXII, XXIII, XXVII. Duplex itaq; fuerit hæc patria, vera & ficta: hæc vel parentum adoptantium urbs, vel patronorum, Quæ, ut multa alia, poſſis adjungere fictionibus juris Hotomanni, Quæſt, illuſt, XXXVIII, & quidem his, quæ locum ſpectant, Non autem alienum ſit annotare, quod finitur ibi fictio, *juris civ, commentum, ad uſum vitæ communis contra naturam rerum, contraq; veritatem accommodatum.* Sequitur Beſold, de arcan, rerump. c, I. &, ut aſſolet, alii, Rogo, non hoc eſt rem involvere magis & excæcare, quam illuſtrare? cujus tu indolem rectius forſan quæras in effectu, quem rei dubiæ eundem cum indubia leges tribuunt, ſimilitudinis ergo, In quo cum legislator ipſe ſervat, tum nos ſervare docet, quod præſcribitur l, XII, Dig, de LL,

Sciendum autem, quod cum hac patria quærantur certa privilegia; veluti quod grammatici, rhetores, medici, doctoresq; alii, qui in patria has artes exercent, à tutela & cura vacationem habent, ʃ, XV, Inſt, & l, VI, ʃ, IX, Dig, de excuſ, tut, vel cur, quod ab ædilibus cæſi, decurionatum vel aliquem honorem petere poſſunt, l, XII, Dig, de decur, quod Syndici filius non eſt civium oneribus ſubjectus, juxta Beſold, Theſaur, pract, lit, V,

Instar privilegii nomen est, quod à patria sumimus, arg. l. I. § I. ad munic. utiq; si sit inclyta: quanquam & humilis laudi sæpe datur, ut vel rhetorum scholæ monstrant. Arrian. in Epicteto, I, IX. *Quæ caussa porro est* (ita vertit Schegg. malumus enim Græca, si sint longiora, Latino habitu exhibere) *quod te Atheniensem prædicas esse, ac non potius in angulo ortum illo, in quo primum nascens corpusculum tuum sit projectum? an fortasse id caussæ subest, quod nimirum à nobiliore loco, & continente non modo angulum istum, sed universam quoq; domum ac totam stirpem majorum, qua es procreatus, patriæ appellationem arripis? Inde nimirum Corinthium te, aut Atheniensem nominas.* Nec vero solis commodis, sed insuper oneribus patriam metiuntur leges: quæ contraxit Wesenb. parat. ad Dig. lib. L. tit. I. num. VI. & glos. in l. VI. §. I. d. t.

Sed quo pacto excidimus patria? potest enim hæc mutari patria, quatenus lex civilis, aut naturalis (veluti de non dando damno) haud obsistit. De crimine igitur constat, vel ex Marant. prax. aur. part. III. num. XLII. Quid de errore ac mendacio? abnuit Ulp. l. VI. & Papin. l. XVII. §. X. adde l. ult. §. V. Dig. ad muni. l. IV. Cod. de municip. Num ergo deponitur adoptione? ne hac quidem, l. VII. Cod. de adopt. Discrimen interim lex, quæ sequitur, commendat, inter civitatem adoptione partam, & nativitate. Senatores tamen (*ma-*

*jores*

*jores scil. qui sunt in urbe Roma, aut Imperiali Consistorio,)* (Coll. Jur. Arg. ad Dig. lib. L. tit. I.) eorumq; liberi nepotesq; origine eximuntur, retenta municipali dignitate, per l. XXII. §. V. exemti non restituuntur: *nisi hoc specialiter impetraverint*, ead. l. §. IV. Et hæc pleraq; sunt, vel potiora, quæ per leges sparsa de hac patria repperi. Quanquam *hodiè, admodum mutata rep. veteri, istæc per omnia non habent utilitatem*, ut jam monuit Hahn. Obs. ad Wes. lib. L. t. I. n. IV. quem juvet evolvisse. Incidit verò sæpe, ut civitas aut municipium cum vera patria concurrat: sed quoniam & possunt esse, & frequenter sunt divisæ locis, atq; adeo effectis; doctrina itidem sejungendæ erant: quo cujusq; natura melius cognosceretur. Illud adhuc monebo, ut singulis, ita societatibus integris patrias esse; velut coloniis. Nam matrices harum *majoris patriæ* titulo noscuntur; non solum, si illarum civitatium pars sint coloniæ, sed etiam, si αὐτόνομοι. Stant enim aliquatenus caritatis caussæ; cum pars ipsarum olim fuerint, ex eisq; tanquam filiæ sint propagata. Inde nomen μητροπόλεως, & γέρα illa, quæ docto studio persequitur Henr. Vales. ad excerpta Peiresc. p. VI. & VII. Olim quippe civitates matres comiter observabantur: quæ nos jura hodiè, itidem ut tesseram hospitalem, & alia multa præclara, ignoramus: sicut origines ipsæ, Martis aut scriptorum culpa, fere ignorantur. Sed de tropica patria satis.

De *germana* (ut appellare voluit Cic. qui & *patriam loci*, & *naturæ* vocat) neſcio, an ad rem pertineat, ſi dixero, patriam non hominibus tantum atq; brutis, ſed rebus corpore aut anima defectis aſſignari: quemadmodum Athenæ breviatori Trogi ſunt *patria eloquentiæ*, V, IX. pro quo Cic. in Bruto: *In ea urbe & nata, & alta eſt eloquentia*. Virg. Ge. II. dixit: *Diviſæ arboribus patriæ*. Sed nos videl. de hominum patria exſpectationem fecimus: quæ eſt nativitatis locus. Petr. Gregor. de Benef. Eccl. c. XXXVI. th. XXI. *Patria proprie locus vel civitas, ubi quis natus eſt.* Inde cognominatur *ſolum natale*, *locus incunabulorum*, & μετωνυμικῶσ, *incunabula*, *origo*, *terra parens*; à Marino Neapolitano, philoſopho & rhetore, in vita Procli, etiam γενέσεωσ αἰτία. Sed hic locus modo anguſtioribus circumſcribitur finibus, modo productioribus, pro loci, cum quo confertur, ratione.

Itaq; patriam dicta invenies, *pagum*, *villam*, *agrum*, *inſulam*, *caſtra*, *urbem*, *coloniam*, *civitatem*, *regionem*: modo in his nati ſimus. Accepi, Herculem, ſciſcitante quodam, Argivus an Thebanus eſſet? ſubjeciſſe: ἅπασ μοι πύργοσ ἑλλήνων πατρίσ. Plut. de Exſil. Neuter mendoſe, nec qui urbem, nec qui regionem patriam putavit: ſed reſponſio ad quæſtionem non quadrabat; quod reſpectu habito ad Thebas, Græcia perdebat nomen patriæ.

triæ. Nos ita Germaniam ſalutamus: quod dum imitantur Auguſti noſtri in pragmaticis ſanctionibus, quid aliud, quam obrogant illi memorato, & l. VI. §. XI. Dig. de excuſat. iterato, *Roma & habetur & eſt communis patria?* Denegat tamen provinciæ nomen hoc grammaticus, ad Virg. Æn. 1. *Italiam quæro patriam.* En loquentem ipſum: *Hoc loco diſtinguendum eſt: nam ſi junxeris patriam, non procedit. Patria enim, i. e. civitas, in provincia eſſe poteſt, non tamen, ut ipſa provincia patria ſit: licet in Salluſtio lectum ſit, Hiſpaniam ſibi antiquam patriam eſſe. Sed illic ad laudem pertinet, non ad veritatem.* Numquid vides, ambiguitate verbi deceptum Honoratum, vel qui lacinias ſuas huic purpuræ attexuit? Ut mittam, quod aliis poëtæ locis, ipſisq; LL. arguuntur canoræ infelicis nugæ. Dicitur autem hic locus originis eſſe nobis velut orbis medius: *cum ab eo loco, ubi quisq; lucem auſpicatus eſt, & terrarum ſitum, & mundi ſpatia metiri incipiat, & quoquoverſum iter arripuerit, patriam ſemper quaſi centrum ſtatuat.* Verba ſunt Pier. Valer. Hieroglyph. l. XXXIV. Inde Onirocritæ umbilicum, patriam interpretantur; ut idem auctor prodit. Ergo, patria quid ſit, ex his fere liquet.

Tempus nunc eſt, ut de caritate quoq;, ſed breviter, audiamus: quæ videtur certe amor in ſuperiores, à ratione imperatus. Notiſſimum porro eſt, amorem,

quotiens generis vicem obit, finiri, inclinationem voluntatis in bonum: id cum pariter circa res vertatur, ac personas, quarum aliæ inferiores aut æquales, digniores aliæ; animi in has conversionem, caritatem appello. Inest enim caritati, si quid video, honos, ac proinde inæqualitas. Videntur hoc clamare Partitiones Ciceronis, in quibus ita scriptum legimus: *Nam aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriæ, ut parentum; aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium.* Eandem subtilitatem nonnullis interpositis repetit. Quo proxime accedit Aristotelis φιλία καθ' ὑπεροχήν. Sed cum bonum, quod propositum est amori, vel sit verum, vel adulterinum, quorum prius ex ratione recta proficiscitur; idcirco & hanc vocamus ad caritatem. Ipsa enim est, quæ efficit ac finitoris instar terminat hunc affectum, & bonum & utilem reddit. Quinctil. Inst. Or. VI, II. discriminat hunc in modum: *Amor* πάθος, *caritas* ἦθος. Repugnat igitur composito huic amori, cujus arcem velut in corde ponimus, cæcus ille, quem in jecinore quærunt: qui non in id, quod oportet, fertur, aut non eo, quo oportet, modo.

Novissimè teneatur, quod à ratione nec suaderi, nec permitti caritas, sed dicta est imperari. Etenim tria cum sint boni genera, quæ sequitur amor, ut philosopho placet, Nicomachior. IIX, II. ἀγαθὸν, ἡδὺ, καὶ

χρή-

χρήσιμον, ex quibus primum vel debitum simul ac decorum, vel decorum, at non debitum, vel nec debitum, nec decorum, licitum tamen; caritas quidem priori generi maxime inhæret: ita ut non tantum à lege naturali (quæ est imperium rectæ rationis, & ipsius dei) ortum trahat, sed ejusdem summa sit; quemadmodum dicit Paulus ad Rom. cap. XIII. comm. X. ex Matth. cap. XXII. com. XXXVII. & seq. πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη. Quibus intelligitur, huic vocabulo ex more τῶν ἀκριβολογούντων hæc potissimum includi, reverentiam, rationis moderamen, juris vinculum.

Exploratis itaq; singularum vocum viribus, nunc in unum eas compellamus, & an vera cum patria consistere possit vera caritas, paullò altius meditemur. Equidem patriam esse φιλητόν, clarissimis ex signis lucet. Quid est enim, quod absentes *immemores non sinit esse sui?* quo argumento mutationem urbis dissuadet apud Liv. M. Furius, V, LIV. quod totiens optatur, tam enixe petitur? quod asperrimam Ithacam Ulysses splendido matrimonio, quod Calypso, δῖα θεάων, & Circe, Solis filia, offerebant, potiorem ducit? apud poëtarum patrem, Odyss. IX, quem locum valde amavit Cicero, amantissimus homo patriæ; ut observat etiam in scholiis Homericis Giphanius. Quid porrò est, quod captivitatis, quod exsilii relegationisq; malum, vel Ovidio

 teste,

teste, tam acerbum reddit? quod ultimis expiandis celeribus hoc supplicium invenerunt leges? quod Ostracismus à nonnullis gravissime increpatur? licet non publicarentur eo, ut exsilio, bona damnatorum, si credimus Aristophanis scholiasti, ad Vespas. Quid, quod Abrahamus, qui divino monitu exsilium sibi indixit, tam cumulate laudatur Ambrosio, Offic. I, XXIV? In his omnibus quis non affectus, & quidem vehementis, impressas velut orbitas videt? Inde adeo est, quod salutabant patriam reduces: quod docebit te Brisson. formul. sollemn. lib. I. inde, quod per patriam supplicat Naso, Tr. II. civili sane schemate, tanquam nihil Augusto foret antiquius. Ex hoc fonte manavit sanctissimi gemitus poëtæ, Ecl. IX. *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Ex hoc consilium Vespasiani, qui *princeps quoq; locum incunabulorum assidue frequentavit; manente villa, qualis fuerat olim, ne quid scil. oculorum gratiæ deperiret.* Suet. Fl. II.

Eadem religione, sed contrario modo, Romulus propagavit famam patriæ, excitanda ibi urbe: de quo Florus, I, I. Quod perfecerunt alii, urbibus patriæ nomine constituendis, ut Helenus, ut Agamemnon: de quorum altero Virgilius, Æn. III. de altero Paterculus, I, I. Tetigit hujus amoris sensus efferum quoq; Caji pectus: qui Antium, natale (ut Tranquillus hariolatur,

Cal. VIII.) solum, *omnibus semper locis atq; secessibus prælatum dilexit: traditurq; etiam sedem ac domicilium imperii tædio urbis transferre eo destinasse.* Idem amor & commendat indigenarum, & suspicione infamat exterorum ministeria. Expertus Alcibiades: de quo Nepos Cornelius, VII, V. *Neq; vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo alienati. Nam cum acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne caritate patriæ ductus aliquando ab ipsis descisceret, & cum suis in gratiam rediret.* Idem amor controversiam peperit, si eadem judici & adversario patria, an suspectum illum reddat? apud Tholos. Synt. Jur. XLIX, III, XI. Ob eamq; caussam præcipiunt sapientes, ne milites contra patriam ducantur. Et quoniam patriæ recordatio, magisq; conspectus, vires animumque pugnantibus subministrat; duces verbis & factis eam sæpe militi repræsentant. Inter arcana quoq; habent, quod est apud Florum, II, VII. *sæviendo in urbes, gentes contumaces vilesq; morti saltem desiderio patrii soli domare.*

Postremo in patria mori & tumulari cupimus. Quare *inter physica signa morientium etiam hoc legitur, patriæ adspectum desiderare perituros*, inquit Serv. ad verba Æn. X. *dulces moriens reminiscitur Argos.* Corn. Galli votum est, Eleg. I. *Redde, precor, patrio mortua membra solo.* Ea

re quondam militiæ peregreq; mortuorum ossa legebantur, & in patriam perferebantur: eodemq; animæ citatæ per ψυχαγωγίαν. Reperies utrumq; in Kirchman. de fun. Rom. III, VII. Omnibus his supervenit auctoritas scriptorum, quorum sententias recitare, esset arenas Libycas metiri velle. Qui iidem oblectari deos ipsos solo natalitio finxerunt. De eo magis est dubitandi locus, an natura generet hunc affectum? id est, an ad amorem caritas etiam, quam ex natura supra duximus, patriæ competat? Quod plurimis visum esse deprehendo: inprimisq; memorabilis est narratio & ἐπίκρισις Curtiana, lib. V. cap. V. A quibus si discessionem fecero, nihil præter meritum novaturus videor. Separemus autem (quæ confundunt ferme J. C. in finitione juris naturalis) naturæ instinctum, à præcepto: quorum ille est fortis inclinatio, & conspicitur quoq; in brutis, ut sunt, quas στοργὰς, itemq; ὀρέξεις φυσικὰς, nec non τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, seu *prima naturæ* vocant; hoc inter ratione utentes vim obligandi tenet, ad quam formam descripsimus caritatem. Lege, si placet, exquisitam dissertationem, quæ habetur in πανάρετῳ Siracidis, cap. XVII.

Jam si natura arcano motu nos rapit ad amandum præ ceteris superficiem aut incolas genitalis terræ, quæro primum, quo consilio, qua necessitate? deinde, cujus temporis incolas respiciat hic amor? porro, quibus indiciis

ciis evidenter vim hanc insitam agnoscere debeam? Metuo enim, ne, quæ tu dicturus es, aliis item caussis conveniant. Nec magis recipi potest illud, quod natura nos beneficio rectæ rationis vellicet, ac patriæ quadam dilige devinciat. Non est injustum, inquies, non diligere locum, qui te genuit, sive, ut auferantur figuræ, ubi primum & summum acceperis munus? non videtur. Locus enim quid est aliud, quam externa rei περίστασις? quæ nec beneficium dat, nec recipit. Quod si homines vis intelligi, quos ambit locus; effare, cur illi gratiam debeant capere paterni diviniq; muneris? Nempe homines hominibus demum obligat, aut ipsorum factum, aut natura, qua sunt homines & consanguinei. Quapropter hæc me tenet opinio: duo esse, quæ nos patriæ concilient, memoriam vitæ acceptæ & actæ. Neq; enim diffitebor, beneficium esse, nasci. Quo modo agnus in fabulis ad canem: *Beneficium magnum sane natali dedit, Ut exspectarem lanium in horas singulas.* Posidippus autem (Sileno etiam, ni fallor, tribuit Aristoteles) è duobus alterum eligendum scripsit, ἢ τὸ γενέσθαι μηδέποτ᾽, ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον. Impatienter certe & ingrate: πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίῳ, ut corrigit amœbæo carmine Metrodorus.

Sicuti vero locum, qui læsit, aversamur, *ne amplius* (loquor cum Justino XIIX, IX.) *gravem luctus imaginem*

*ginem renovet, neve ultra amara ejus admonitio oculis occurrat*; unde ovidio, Trist. III, I. est *insania*, quod *victus repetit gladiator arenam, Et redit ad tumidas naufraga puppis aquas*: ita impense diligimus & sectamur testem acceptæ vitæ, h. e. bonorum optimi, locum. Quod si ad istam commendationem accesserit habitandi mora, exprimi nequit, quantum amor ex eo capiat incrementum. Unicum Senecæ dictum expromam, qui de provid. IV. de majoribus nostris inquit: *Perpetua illos hiems, triste cœlum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant. Miseri tibi videntur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. Paullatim enim voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt*.

Hæc me verba admonent, ut notem, cum triplex bonum sit, quod objiciatur amori, virtus, commodum, voluptas, uti superius demonstratum; patriam quidem ad ultimum pertinere. Nihil apertius loco Tullii, quem ex lib. II de L L mox laudavero: cui sexcentos alios, eandem patriæ dulcedinem jucunditatemq; memorantes, possum aggregare. Jucundum vero omnium potentissime animos trahit, & quasi thyrso quodam percutit: ne quis miretur, consuetudini sine natura tam acres esse stimulos. Mille, inquis, faciam testes, qui diversum scripserint. Sed qui sunt, obsecro, qui scripserunt?

runt? homines nempe, in quos error cadit. Bene Plato: ἐπιστήμῃ δεῖ κρίνειν, ἀλλ' οὐ πλήθει. Quare ſi ad hoc teſtium mille adjeceris alterum, itemq; tertium, magis me tamen veritas, quam auctoritas, movebit. Nec tamen ſolus ſum in iſta hæreſi: etiam noſter eſt pro parte aliqua CL. Berneggerus, Quæſt. IV. in Tac. Germ. cujus argumenta lecturis intacta reliquimus. Neq; omnibus, quos teſtaris, quam tu credis, fuiſſe mentem arbitror. Etenim, ut tandem ad propoſitum appellam, videntur doctiores, cum caritatem, i. e. fere omnia patriæ nos debere, cui & in qua nati ſimus, aſſeverant, ipſam profecto remp. demonſtrare.

Dices, In rep. continetur patria. At nec ſemper, quæ patria, eadem noſtra eſt civitas: nec, ſi ſit, tanquam patriæ iſta debes, ſed tanquam civitati. Illuſtris eſt locus Cic. de LL. II. *Ego mehercule & illi* (Catoni) *& omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi R. civitatem ſuſceptus eſt. Itaq; cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. Ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus migrare eosdem ex agris, & in aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit, & Symphradas ex Atticis: ſic nos & eam patriam dicimus, ubi nati, & illam, qua excepti, ſumus. Sed neceſſe eſt caritate eam præſtare, qua reip. nomen*

*universæ civitatis est* (melius in cod. Memmiano legitur, Lambino teste, *quæ populi Rom. universi civitas est*) *pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere & quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est, quæ genuit, quam illa, quæ excepit.* Nec ratio hujus locutionis est obscura: quoniam enim, ut docui, nomen patriæ est amoris & favoris plenum; oratio eruditorum, maxime cum describunt bona, quæ ex civili progerminant societate, aut mala, quibus mactant eam dissoluti, merito inde pondus mutuatur.

Civitas ergo est, cui respondet caritas. Primum enim, cum civitatis finis præcurrat finem singulorum, civitas quoq; est his præstabilior: honorem igitur ei, maximeq; eminentiorum gratia, debent, & proinde sunt inferiores. Obstrepit nescio quis, atq; per hoc imperantes à caritate patriæ submoveri exclamat. Sed ne dicam, quod summa rerum ad paucos respicere aut unum solum potest, immo in plerisq; civitatibus solet (sufficere autem debet, si majoris partis habeatur ratio) certe cum patriam illi referant, ipsorumq; adeo commodis publica sint innexa; amor patriæ apud ipsos, maxime apud principes, cum amore proprio paria videtur facere: retroagi enim possunt hæc duo, & conveniunt effectu, licet affectu discrepent; ut explanatius alibi, ductis inde eximiis quibusdam consectariis, tradimus.

Quo-

Quomodo autem hunc amorem sibi præstent, ex illorum scriptis doceri queunt, qui tractant de juribus ac virtutibus imperantium. Si tamen ad sensum popularem loqui placet, dicatur sane, tam inferiores caritatem, quam superiores amorem patriæ debere, h. e. omnes, qui patriam agnoscunt, prout quiq; juvandi viribus sunt armati, adeoq; vel maxime imperantes, eorumq; consultores & amicos.

Pulcrè dictum à Nerone, sed dictum solummodo, *cunctas sibi curas amore patriæ leviores.* Tac. A. XV, XXXVI. Factum vero etiam, si à quoquam, ab Augusto jam principe: cujus historia, ut exemplar absolutissimum *parentis patriæ,* huc eximiè pertinet. Is enim & fuit, & salutatus est: & quidem primum ita salutatum credit Jo. Baptista Egnatius, Romanor. princ. lib. I. Sed jam rep. libera, detectis Catilinæ molitionibus, meruit hoc cognomen Cicero: ut præteream, quod & ante acclamatum est à milite Camillo, & post Julii funerati columnæ plebs adscripsit, PARENTI PATRIÆ. Cujus tituli vim explicat Sen. de Clem. I, XIV. Quærunt eum aliqui (veluti Mynsing.) in §. VII. procem. Inst. ubi apparent notæ PP. A. Ejus rei impatiens Ernstius, ad Not. Val. Probi notat: *Miror J. C. nonnullos, notas apud Justinian. Imp. in procem J. §. VII. P P. A. interpretari, Patre Patriæ, aut Patre Populi. Discant ex Val. nostro,*

*ſtro, & Magnone, quod P P. & P. P. differant.* Idq; etiam ex Pandect. Florent. præfationibus intelligi, Pacius teſtificatur. De conſiliariis, meo judicio, ſint legenda, quæ compoſuit Petr. Magnus Parmenſis, cap. XII. & XIII.

Sed propterea quoq; caritas convenit civitati, quod huic ratio recta & natura nos copulat. Primo namq; ad civilem congregationem hortatur, & inclinat: cui qui ſeſe addunt, caritatem, jam ante ex aliqua parte debitam, promittunt, aut ex negotii indole promiſiſſe intelliguntur, ſine quo vinculo, illa non coaleſcit: diſcedere autem à promiſſis eadem natura, atq; ita Deus ipſe, vetat. Quod altiſſimè animis infigendum opinor: expedit enim, amorem patriæ non ἀδιάφορον credi. Etſi inter ea, quæ ſubjecta ſunt huic amori, quædam fortius, alia laxius nos adſtringunt, quæ omnia complectuntur Zenoniorum καθήκοντα: quæ ſollicitè in docendo pariter & agendo volunt diſcerni. Nam (exempli cauſſa) fortiùs adſtringit emolumentum patriæ, quam ornamentum; & in illo potior cura eſt de damno avertendo, quam parando lucro. Is ergo amantibus patriam finis erit princeps, ut ſummo legislatori pareamus.

Sanè & aliis commodis (quæ ſuo reddentur loco) intendere animum licet; modo ne gradus conturbentur, & id, quod primum quaſi mobile eſſe debebat, vel quieſcat, vel tardius ceteris moveatur. Præclarè, ſed paganico

nico philosophandi more, quo finis virtutis ipsa est virtus, ordinem custodit Virgil. Æn. VI. de Bruto loquens: *Vincet amor patriæ, laudumq; immensa cupido.* Eadem verò ratio, quæ præscribit actiones, ut legislatrix, suggerit peragendi modum, ut consultrix: quam omnino audient, qui civitatem colunt. Nam & hos vituperandos censet Aristoteles, Eth. VII,IV. qui peccant οὐ τῷ πάσχειν, καὶ ἐπιθυμεῖν, καὶ φιλεῖν, ἀλλὰ τῷ πῶς, καὶ ὑπερβάλλειν. Quas ob res Demosthenem Pausanias, Catonem Cicero, Ciceronem ipsum alii notant: patriam enim, sed inconsideratè, diligebant. Nec rarò viris vel litteratissimis usu venit, ut studio patriæ, pro cujus caussa stilum fatigant, velut æstu correpti, ad falsarum opinionum Syrtes deferantur: quo in numero forsan Grotius & Seldenus, de dominio maris ambigentes.

Quoniam igitur & inclinatio cum honore, & rationis imperium consiliumq; ad civitatem quadrant, ad eandem etiam quadrare caritatem, simulq; laudes illas, quibus φιλοπατρίαν cohonestant viri docti, putemus. M. Tullius auctor est, præf. paradox. *sæpe Catonem, cum in Senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractasse.* Horum exempla paullo post enarrans, *de caritate patriæ* etiam dixisse scribit. Non injuria aut gravem philosophiæ locum credidisti, Cicero, aut in senatu tractavisti, Cato: qui enim caram habet civitatem, ea sectatur,

tur, quæ conſervant eam; abhorret, quæ diſturbant. Virtute verò eam contineri, ſcelere dilabi, prudentibus eſt perſuaſum. Ergo compendioſiſſima ad virtutem via eſt, ſtudere patriæ. Hierocles autumat, apud Stobæ. Serm. CLVII. δεῖν ἀποικοδομεῖσθαι πᾶν καὶ πάθος, καὶ νόσημα τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς τὸν πατρίδι χρησόμενον καλῶς. In pietate erga patriam (ut Cic. maxime amat loqui) non minus, quam injuſtitia, πᾶσ' ἀρετή 'στι: eminet in medio virtutum choro, tanquam mater inter filias. Quanquam aliæ remotiores, interiores aliæ, ut fides, liberalitas, civilitas, fortitudo. Arrian. in Epicteto, III, XX. appoſitè conjungit φιλόπατριν, μεγαλόφρονα, πιστὸν, γενναῖον. Lerna igitur vitiorum, μισόπατρις; virtutum autem velut æditꝰus, aut templum ipſum, φιλόπατρις: ſi Græcanico verbo eſt utendum, quod etiam ſuo cuidam dialogo indicem fecit Lucianus. Nobis dicitur *amator patriæ*: id enim eſt A M. P. apud Val. Probum, interprete Scaligero. In ejusdem Probi notis legitur, ADI. P. *adjutor patriæ*: nam ita melius putat Ernſtius, quam apud Greſemundum, *potentiæ*. Egregia ſanè nomina: quæ quid gremio ſuo complectantur, multi magniq; ſcriptores hic illic expediverunt; maxime hi, qui tam in univerſum de quarto Decalogi membro, de caritate, de juſtitia, & huic ſubjecta grati animi virtute, de officiis, de jure naturali præceperunt; quam ſepara-

paratim de bono cive, de conservatione rerump. de potentia civitatum, & horum similibus, nominatimq; de eo, quales in patriam esse debeamus, ut Hierocles in λόγῳ, cujus apud Stobæum particulæ visuntur, πῶς τῇ πατρίδι χρηστέον; sive is pars est Οἰκονομικοῦ, sive cum eo majoris operis partem facit: quorum illud Vossius pater, hoc Jo. Pearsonus affirmat.

Quibus ita significatis, officio meo defunctus videor: cum enim sit ostensum, quid patriæ caritas vocetur sapientibus, licet sanè, quæ ad culturam civitatis pertinent, ex ipsis sedibus suis ac fundis petere. Attamen quoniam viri illi summi, pro otii institutique ratione, alienæ industriæ non nihil reliquerunt, de utili fecundoq; argumento pauca, quæ libitum erit (semel moneo) delibabo; tanto id magis, quod sæculo vivimus, ubi ferè amorem patriæ lucri & honorum amor extinguit. *Privata cuiq; stimulatio, & vile decus publicum.* Itaq; partem officii erga patriam judicavi, si de officio patriæ reddendo pro virili in medium consultarem; eandem & scribendi caussam habens, & materiam. Ut autem, quæ dicentur, accipienda omnia de rep. veniunt; ita ex scriptoribus ad testimonium citandis ea magis decerpemus, quæ patriæ nomen velut fronte præferunt: quo & superiora magis firmentur, & hæc accessio meliori jure niti videatur.

Debe-

Debemus igitur in universum patriæ τὰ οἰκεῖα καὶ τὰ ἁρμόττοντα: quæ ad horum aliquod pertinent, honestatem, vel utilitatem. Sed honestas utiq; non solo fine; etiam modo æstimatur. Quis proinde ferat Italorum quorundam (per quorum vestigia ivit Lipsius, Pol. IV, XIV, LI.) horribile secretum, caussâ boni finis (in quo ipso arbitrando vanis rerum imaginibus sæpe deludun-tur) omnia licere? quam verè tot malarum artium scaturiginem, ac veluti πρῶτον ψεῦδος dixeris. Censetur sanè finis dare bonitatem mediis. Ita enim appellant hodie, quæ velut media inter voluntatem, & id, quod volumus, i. e. quorum auxilio ad optata pervenitur. Sed optime Dan. Stahl. regular. philos. VII, V. *Non est sermo de bonitate morali, quasi finis, si moraliter bonus sit, faciat etiam media esse talia; sed intelligitur ita, quod medium, ut medium in se, per se & propter se, non sit expetibile agenti, nec ab eo hoc modo ametur; sed quod ab ipso pro bono habeatur & ametur, id inde esse, quod res, ad quam acquirendam utile est, tanquam finis appetatur.*

Quid si & in mediis discernas res interius ac natura sua malas, quæ ipso nomine vitium involvunt, qualis cædes innocentis; ab indifferentibus & μέσαις? quibus solis bonitatem impertit finis. Itaq; largitionis (quod genus inhonestum ferè habetur; atq; ob id junguntur Ciceroni *largitores & factiosi*, in aurei de Offic. commen-

mentarii libro I.) exemplum lego, ab optimatibus Ro. approbatum, *ne Catone quidem abnuente, eam largitionem è rep. fieri*, apud Suet. Jul. XIX. Publica nempe utilitas regula & amussis est largitionum. At non Octavii arma civilia, quamlibet *discordantis patriæ remedium*, laudantur: etiam qui excusant, præ se ferunt apud annalium scriptorem, I, IX. *neq; parari potuisse, neq; haberi per bonas artes*. Nam de adulterio tyrannicidæ, quod solet proponi (de quo etiam Sen. Contr. IV, VII.) nihil addam: in quo finis ipse dubitationem habet. Interim evolvant, oro, Ciceronem mangones isti, extremo lib. I. Offic. cujus hæc summa: *Sunt quædam partim ita fœda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandæ quidem patriæ caussa sapiens facturus sit.*

Honesta igitur patriæ tribuimus; sed & (quod alterum ex duobus erat) conducibilia. *Quo est detestabilior istorum immanitas* (veluti tyrannorum) *qui lacerarunt omni scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & sunt, & fuerunt*, ait ibidem Cic. tangens maxime Julium: quem idcirco *patriæ parricidam* vocat Lactant. I, XV. ceu opponeret *parentis patriæ* titulo, quo mortuum insignitum dixi. Huc retuleris patriæ proditores: quorum pessimi, quos finit poëtarum maximus, Æn. VI. versu illo, quem nostri mores notissimum fecerunt: *Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem Imposuit.*

 Non

Non exſcribam, quæ de hoc *execrabili criminis genere* ad eundem locum philoſophatur Donatus, & commemorat Servius. Proditionis ſuboles eſt transfugium: transfugæ enim *malo conſilio & proditoris animo patriam relinquunt*, l. XIX. §. IV. Dig. de captiv. & poſtlim. rev. Debilitant enim, quantum in ſe, patriam, & mox ei manus inferunt. Itaq; jure civ. hoſtium numero ſunt, nec poſtliminio revertuntur, d. l. & §. VII. ac poſtulari queunt læſæ majeſtatis, l. X. Dig. ad l. Jul. maj. Enimvero cum omne crimen majeſtatis ſit vel πλαστικὸν, vel verum, hoc vel in remp. vel imperantium, qui loco ejus ſunt, auctoritatem poteſtatemve, quam per ſeſe, vel magiſtratus exercent; illud in remp. admitti patet. Ne ergo ſtrenui ſimus in conſciſcendo patriæ malo, ſed procurando potius bono: quod ſcindit ſeſe, auctore Hippodamo Thurio, Cicerone, Suetonio, aliis, in incolumitatem & amplitudinem. Et quidem hæc illam comprehendit, ſed decus & robur adjicit: quale in corpore eſt obeſitas, vel potius quadrata forma; quoniam quidem illam in vitio, hanc in laude ponit Celſus, de Medic. II, I.

Quam ut præſtent imperio Principes noſtri, egregio ſymbolo admonentur, Auguſti, inquam, nomine; ſive effectum conſideres, ſive rationem appellationis. Neq; enim hoc adeo refragatur antiquitati, ut exiſtimant

ali-

aliqui doctiorum, nauſeantes receptum illud, **Mehrer des Reichs** / & Accurſium antiquitatis expertem, ut auctorem fabulæ, incuſantes: ſiquidem fuiſſe, qui *ab auctu* inclinarent auguſtum, certiores nos facit Suet. Aug. VII. Nempe *augere*, ut probat eo loci Caſaub. verbum eſt ſacrorum, ad civilia transſumtum boni ominis gratia. Quo minus dubitationis relinquerem, ſubſcripſi elegos Ovidii ex Faſtor. I. *Sancta vocant auguſta patres, auguſta vocantur Templa ſacerdotum rite dicata manu. Hujus & augurium dependet origine verbi, Et quodcunque ſua Jupiter auget ope. Augeat imperium noſtri ducis, augeat annos: Protegat & noſtras quercna corona fores.* Ex his, quanquam Auguſtus ille potius videtur, qui augetur, quam qui auget; ſcire tamen licet, ab augendi verbo non tam abſurde flecti, quam illi putaverunt: deinde, vulgare interpretamentum hac ratione facillime tolerari; quod præſertim eo valet, ut quaſi breviario quodam oſtendat, quantum patriæ debeatur. Sed in conſervandis patriæ utilitatibus cavendum, ne ſi plura oſtendantur bona vel mala, optio noſtra in id, quod minus bonum, aberret. Ex hac lege incertus ſum, an accuſem, qui *duces ſuos ſeq; patriamq; ferro & veneno, ſubjectoq; undiq; igne peremerunt*: quod de Numantinis recenſet ac dilaudat Flor. II, XIIX. de aliis annotat Freinshem. Wendæ, cum in Livonia dux Moſcoviæ cum

 Joan-

Joanne filio fœdiſſime graſſaretur, obſeſſi per mutua ſe amplexi, paſtiq; ſacra cœna, pyricum arci pulverem ſubjecerunt.

Quibus in exemplis aliter forſan de his ſtatuendum, qui ſervitutis aut pacis dedecora fugiunt, aliter de his, qui mortem ſimplicem, aut certos & intolerabiles utrobiq; cruciatus. Primi famam vitæ præponunt, eoq; pro leviore malo (faceſſant oratorum λήκυθοι) ambitioſo errore gravius optant: quod haud dubie eſt nocere. At medii nec proſunt patriæ, nec obſunt, ſed plane, quod ajunt, παντάλῳ τὸν πάνταλον: in quo gloriæ ſiti, aut conſternatione aguntur, cujus proprium eſt cogere, *ne moriare, mori.* Noviſſimum genus prodeſſe equidem aliquantulum videtur; diciq; de hoc poteſt, quod de illis, qui, comitiali morbo obnoxii, jugulati gladiatoris ſanguinem potant, Celſus de Medic. III, XXIII. dixit: *Miſerum auxilium tolerabile miſerius malum facit.* Delinquunt tamen, ſi id rogas, omnes: propter quod perſuaſum habet Auguſtinus, de C. D. III, XX. *ſi Saguntinorum Chriſtianus populus eſſet, ſe ipſum nec ferro, nec ignibus corrupturum fuiſſe.* Excuſationem tamen aliis alii majorem ac miſerationem emendicant; præcipueq; ab his, qui vices rerum cogitantes, timere potius ſibi, quam aliis iraſci didicerunt. Illud igitur conſtet, parum eſſe, non nocere patriæ, niſi & commodes; aut commodare, niſi

id,

id, quod eſt commodiſſimum, eligas; immo (quod majoris longe artis & præſtantiæ) ex malis ipſis, quæ ſunt indeclinabilia, boni aliquid excerpas. Qua in re facem nobis præferunt muſices periti, qui ex notis diſſonantibus, ut vocat ſæculum, ſuavem & eruditum concentum efficiunt. Sed de hoc arcano alias.

Proſumus autem patriæ (ut rem propius adſpiciamus) cum per alios, tum per nos ipſos. Nam quibus curæ eſt τεκνοποιΐα, hi per liberos remp. augent. Euripides, Erechtheo: τέκνα τοῦ δ᾽ ἕνεκα τίκτομεν, ὡς θεῶν τε βωμοὺς, πατρίδα τε ῥυώμεθα. Quisquis igitur patriæ cupis, familiam extende, *Atq; aliam ex alia generando ſuffice prolem.* Ex his conſequitur, cœlibatui, præſertim inceſto, matrimonium, & matrimonio ſterili fecundum longe quodammodo anteſtare. De quo non poſſum, quin interſeram judicium Mercurii Triſmegiſti, vel quicunq; auctor eſt Pœmandri, c. II. *Altera Dei appellatio*, inquit, *pater eſt; ob eam cauſſam, quia omnia gignit: patris enim officium eſt, generare. Quapropter præſtans id in vita cenſetur ſtudium, atq; ipſum apud ſapientes, procreatio liberorum. Extrema vero omnium calamitas & impietas accidit illi, qui absq; filiis è vita diſcedit: qua de cauſſa dæmonibus dat pœnas poſt obitum. Supplicium deniq; hujuſcemodi eſt, ut ſterilis anima in corpus quoddam per judicium migret, cui nec maris, nec feminæ natura inſit, quod*

 qui-

*quidem à Sole elevatum est atq; connexum. Igitur, ô Æsculapi, cum homine, qui nullos genuit filios, nullum habeto commercium: infelicitatis tamen ejus miserere, cum noveris, quæ hunc mala post interitum maneant.* Ita quidem Hermes, qui ex re decora necessariam efficit; bene sane, si ex utilitatibus patriæ rem spectes. Etsi casus à culpa, temeritas & fraus à ratione debuerat discerni: cum tempora quædam τεκνογονίαν reddant inconsultam, quædam supervacuam; interdum magis aut æque utilis est solitudo.

Sed huic vinculo naturali civile identidem accedit: siquidem ad vitam jugalem invitare solent leges florentium rerump. qualis Romæ Julia & Papia, de maritandis ordinibus, nobilitata commentario Jac. Gothofredi: cujusmodi sanctiones *fundamenta reip.* dicuntur Panegyristæ Maximiani & Constantini, cap. II. Pessime enim institutæ civitatis nota est, quam Crotoni tribuit Satyricus: *In hac urbe* (sic ille) *nemo liberos tollit: quia quisquis suos heredes habet, nec ad scenas, nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat.* Quem locum non dubie, si extarent, graviter illustrarent Orationes Q. Metelli, de prole augenda. Licitos vero amores ut parit, certe debet, amor patriæ; sic eosdem ita temperat, ut duo cumprimis evitare suadeat. Primum, ne ei maritus fias, cujus mores impro-

improbam ſubolem promittant. Utrum enim præſtat, nullos an noxios patriæ cives exhibere? Dehinc, ne facile (quo verbo ſpem induſtria & fiducia in Deum nixam excipimus) inops inopi te jungas. Etenim procreare, quos mox fame ſis enecturus, eſt eodem tempore dare & negare. Inquis: Suſcipiet patria vicem patris, & natorum ſumtus. Atqui per hoc onus, quicquid commodi tribuiſti, exhauris, laudemq; generationis temeritatis mixtura deles.

Per alios quoq; patriam diligit, qui diligit patriæ utiles, nec gloriæ ſuæ detractum credit, quod alterius gloriæ conceſſerit; qui cum Plinio, Ep. V, XVII. *favet ſæculo, ne ſit ſterile & effœtum, mireq; cupit, ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulcrum, niſi imagines, habeant.* Nec autem præclaros tantum, ſed omnes fovere, neminem odiſſe, ſalus patriæ quemq; jubet: *ne cum inimicis nocere ſe ſperet, noceat reip.* quod eſt apud Cæſ. de bell. civ. I, VIII. Tacuiſſem hoc præceptum, niſi plurium ore, quam factis, frequentaretur: in cauſſa voluptas ultionis, & falſa honoris imago. Quæ duo imperioſiſſima monſtra ut ratione debellemus, vel immortale Fabii nomen hortatur, qui inimicum Dictatorem dixit, apud Liv. IX, XXXVIII. *inſignem dolorem ingenti comprimens animo:* quem idcirco in exemplum commendat, indeq; ſalutare ducit πόρισμα, homo alias de virtute non

perindo

perinde meritus, Nic. Machiav. in Liv. III, XLVII.

Nolim autem hoc præceptum ita accipi, ſicut ex ethnicis quidam videntur accepiſſe. Si enim hanc ſententiam habet, extra emolumentum patriæ licite geri inimicitias, ſive patriæ commodum interpreteris de temporaria quadam & evidenti utilitate; aſſenſum à me nullum impetrat. Omnes quippe inimicitiæ (ſi vera, quam jucunda, loqui malumus) ſcelus ſunt: quando omnes fini & juribus humanæ ſocietatis, magisq; civitatum, maxime vero civitatis Dei, adverſa fronte pugnant. Da mihi hoſtem publicum, da Turcam, da parricidam: in his ſi perſonam potius, quam crimen, odimus; ſi aliter nos gerimus, quam judex inculpatus; ſi denegamus, quæ ut homini debemus, fas abrupimus. Quamobrem eundem Fabium indiſtincte commendare nollem: ſiquidem deponendæ inimicitiæ ſolam invenit cauſſam, unicum illud commodum, quod tunc patria exſpectabat. Prudentis ſane & boni erat, ſcire & obſequi legem æternam, patriæ cedere nos jubentem: ceterum male ignoravit, ſimultates, utpote malum oppoſitum caritati, per ſeſe inhoneſtas, omniq; tempore in publicum noxias eſſe; atq; adeo non tam bene fecit, quam malum diſtulit. Quid nos hodie? ne præſenti quidem patriæ commodo mitigamur: in tantum non modo à Chriſtianiſmo, ſed etiam à paganiſmo degeneravimus.

Reli-

Reliquum est, ut designetur, qua via per nos reip. prosimus. Id non modo efficitur, si nostri, qui partes sumus patriæ, religiose curam agamus, veluti si medicis auscultemus, cum Plin. Ep. VII, I. si nec difficilibus itineribus, nec duellis, nec periculis aliis temere nos objiciamus; sed etiam si animus noster aut corpus recta in commodum patriæ feratur. Quæ hic animi partes sint, rogas? ut piis motibus, reverente judicio patriæ semper occurrat: ut bonis vel malis ejus intime, tanquam συμπαθείᾳ quadam, afficiatur: ut votis cœlum fatiget, *si remp. in meliorem statum vertisset:* ut civilibus maxime exsistentibus discordiis, hunc suspiret exitum, *Vincat, quicunq; necesse Non putat in victos sævum distringere ferrum;* vel potius, *ut redeat expulsa pietas, & moderata animi æquitas, & ex utraq; amnestia, & ex amnestia pax, & ex pace Dei gloria;* quod turbatæ Germaniæ vir non minus pius, quam eruditus optabat. Inprimis vero animi est, iis se dare studiis, quæ patriæ vel utilia, vel decora (quanquam decus utilitate continetur: *nam quod decet, fere prodest,* vox est Fabii, I. O. XI, I.) ut, quæ usquam egregia, in patria occurrant. Πάντα δὲ (ait illε) οἶμαι παιδεύματα καὶ μαθήματα συλλέγουσιν ἄνθρωποι, χρησιμωτέρους ἀπὸ τούτων ταῖς πατρίσι παρασκευάζοντες.

Quanquam igitur nulla est bonarum artium, cujus sit nullus in rep. ordinata usus, si præsertim eximie

colatur; tamen cum hæc plus conferat, illa minus, in deligendo opus est auspicio prudentiæ: quo discernas, quid cum in sese, tum pro indole tua (quo enim ingenium inclinatioq; animi ducit, eo divinitus evocari nos credo) maxime vero pro patriæ statu ac tempore sit utilius. Ejus generis cautio est, si non facile adjungamus nos studio, in quo versati jam plures adsunt patriæ, vel adesse possunt. Aliter & commoda ipsi nostra gloriamq; interpellabimus, & efficiemus, ut patria in uno genere doctorum affluentia, in aliis penuria laboret. Ceterum ut in eligendis studiis judicio constantiaq; sic in tractandis extrema diligentia, & majore sane olei, quam vini impendio, patriæ caussa opus est. Quod enim de sacris studiis nonnemo, id de omnibus promiscue dixeris: *Opera omnis perfunctoria, & oscitantia languida in tantis rebus* (quæ mediocriter cultæ plus fere intertrimenti, quam bonæ frugis afferunt) *scelus est nefandum.*

Sed quotusquisq; vel in amplectendo, vel in percolendo disciplinæ genere, patriam in consilio habet? Omnes ad lucrum unice & capturam, ceu metam, currimus: quod quid aliud est, quam ex Musis prostibula facere, ex doctrinis opificia? De qua labe jam olim questæ Institutiones Quinctiliani, lib. II. cap. ult. sub fine, & Satyricon Arbitri, per occasionem deficientis picturæ. Ita fit, ut postquam omnes generosiores spiritus

tus vilissima quæstus cura elisit, vulgari & tumultuaria eruditione contenti, litterarum & reip. gloriam, non dicam, non ampliemus (id enim beneficium potest videri) sed invidiose demoliamur.

Eodem pertinent, quos ad studium curiosa invitat ambitio: hi enim summam fere laudis in eo ponentes, ut legisse ac meminisse quamplurima dicantur, minimum tribuunt meditandi moræ; sine qua nihil digestum, certum, integrum. Itaq; cum negligens hæc industria, & animi per studia præcipitati velut furor, magnam magis, quam solidam scientiam, vel scientiæ potius umbram pariat, falsæq; choragium gloriæ; Apollines mihi videntur, qui eruditorum tenuem adeo numerum statuunt, ut (quod de principibus bonis ille censebat) annulo possint inscribi; utq;, verbo Tullii, *sæpius mula pepererit, quam sapiens fuit*: adeo fere semper vitiat modum vitiosus finis.

Sed in hoc genere permolestum accidit, quod tunc, cum studiorum aliqua est ingredienda via, vel naturam scientiæ, quæ sectanda, vel conditionem patriæ, cui sectanda, hebetiore visu ferme adspicimus. *Primum* (ut ab eodem Tullio dictum est, IV. Academicar.) *ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, orati-*

*one capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcunq; sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tanquam ad saxum, adhærescunt,* Inde contentio Synesii & Pylæmenis, utrum magis deceat amantem patriæ, caussas orare, an philosophari? Transscribam epistolæ Synesianæ verba, ut convertit Jo. Caselius, πολιτευομένῳ c. XIII. *Ego, quod Heracleam amas, & hoc toto animo agis, ut de ea bene merearis, id ipsum laudo. Meis autem verbis eo spectabam, philosophiam anteferendam esse isti forensi operæ. At vero tu mihi caussas agendo potius, quam in philosophia perseverando, opinari videris te plus profuturum patriæ. Qui vero istuc? quod ab instituto tuo non abis, ejus rei caussam in animi tui erga patriam pietatem confers. Hoc igitur est, quod derisi, nequaquam autem illam benevolentiam: videl. quod perperam existimas, ad hunc egregium amorem plus tibi profuturum, si in actionibus caussarum perpetuus sis. Etenim nisi profitear, philosophiam hoc posse præstare, ut civitates in meliorem locum restituat, refutabit me Cyrene, cujus omnium in Ponto urbium status est exquisitissimus,* & reliqua. Quæ animi in colenda patria partes essent, huc usq; declaravimus.

Jam in corpore nullum apparet membrum, quin ad patriæ usus destinatum à providentia conditoris videatur. Præcipuum munus est linguæ, proximum dextræ. Et orationis quidem usus frequentissime in honorificis

de pa-

de patria cædendis ſermonibus cernitur. Abeant igitur in Morboniam, qui niſi peregrina non admirantur. Sordet ipſis vetus patria: ſub Gallico vel Italico cœlo eſſe nati, vivere, emori deniq; mallent. Idq; errante nomenclatura prudentiam & candorem appellant: quaſi prudentia ſit, efficere, ut propudioſæ patriæ civis videare, aut non exuberantior patriæ candor debeatur. Non multo cautiores, qui magnificas Romanorum exornationes, quibus imperium totius orbis arripiunt, imitantur, & reperta in patriæ contemtum ſua faciunt: id quod hoſtem verius patriæ, quam cultorem, decet. De Germania equidem liquet, cis Danubium ac Rhenum ſita vel nunquam Romanis, licet non adeo remotis, vel brevi, paruiſſe: quod vel ex Marq. Freheri Lupoduno diſcimus. Et ſane victam fere magis, quam domitam, immo triumphatam magis, quam victam, & afflictam aliquando, aliquando afflixiſſe, ipſorum annales loquuntur. Inter clades & ignominias, quas paucas numerat, felicitas Julii & Auguſti, non omiſſa Germani nominis mentio: cujus qui fuerit metus, teſtari potuit ille, cum teſtamenta conderet miles; hic, cum caput illideret foribus, diemq; probri mœſtum quotannis haberet. Atq; id factum florentiſſimo imperio: plane ut ſingulari fatorum induſtria ſubjectionis infamiæ exemtus videatur ille populus, qui in Romanam majeſtatem & imperium ſucceſſurus erat.

 Qua-

Quare ut merito παραχάραγματα vulgi ſpernit Lampad. de Rep. Rom. Germ. part. III. cap. IX. ita quod ope diſtinctionis, inter actum & potentiam, explicatum ivit imperium illud orbis univerſi, quo ſuperbiunt Romani, exiguam à me gratiam iniit. Leviſſime in hoc genere peccat ſilentium, peccat tamen: cum æque ſit culpa, ubi loquendum eſt, muſſare; ac ubi ſilendum, eloqui. Scio, quid dixerit Philemon, quem Grotius, Excerpt. Trag. & Com. p. Dcc. ſic Latine loqui docet: *Quotiens amicum apud hoſpitem diverteris, Dum ſermo largus horſum & illorſum vagat, Suam ille ſi urbem prædicaſſet maximam, Tuam ex adverſo patriam ne contenderis. Amicos inconciliat æquiparatio.* Sed hæc, niſi de immodeſtia contentionis accipias, Gnathonem effingunt, non amicum.

Dices, Etiamne igitur in patria laudabo, quæ à laude ſunt remota? Primum te reſpicere jubeo, cui loquaris, extero an populari: cum hoc, utiq; ſi ſit familiaris, liberius agas, licet; dummodo penſitata, & in gratiam veritatis promas. Etſi, quod ad acta reip. pertinet, civilius mihi ſapiunt, qui perſuaſi, fontes negotiorum publicorum eſſe & ſacros, & abſtruſos; potiſſimam rerum circumſtantiam facile neſciri; decipi multos prima ſpecie; plures deniq; rectius providere, quam unum, ultra privatæ ſortis circulos hæc ponunt. *De aliis artibus* (in-

quit

quit Melanch. in pol. Ariſtot. l. III. qui & in ſeq. graviter in Theologos quosdam perorat) *nullis judicare permittitur, niſi artificibus & uſu peritis. At de ratione reip. regendæ, quæ eſt haud dubie omnium artium longe difficillima, judicant homines prorſus imperiti: qua in re non modo indignitas ſumma ineſt, ſed etiam plurimum periculi: quia labefacta auctoritate legum* (& imperantium) *non poteſt tranquillitas reip. retineri. Quare hæc impudentia publicis pœnis caſtiganda erat.* Porro, ſi laudare eſt nefas inhoneſta, uti quidem eſt; cum hoc nihil aliud ſit, quam falſarium agere: at certe eſt proximis locus. Reticebo, aut excuſabo, quod probare inoffenſa veritate non potero; & aliud magis, aliud minus, pro genere commiſſi & gradu. Infirmitatem humanam commiſerebor, lenitis gravioribus, vocabulis, & oratione doctis coloribus, quos ipſe non faſtidiat Rhadamanthus, obumbrata. Ejus rei memores videntur, qui incultæ noſtratibus ſapientiæ civilis antiquitatisq; culpam in ſæculum malunt referre. Sed hæc ita moderari oportet, ne dum patriæ conſulimus, alterius gloriæ per injuriam derogemus. Quo nomine juſte taxatur à prudenti viro ἀντιλέχνητισ illa eruditorum, diverſæ nationis ingenia, ſtudia, ſcripta livido ſtilo deprimentium. Tam enim in vitio ſunt, qui ſua tantum mirantur, uti Græculos notat Romanus, quam qui externa omnia,

Quem-

Quemadmodum vero privatim, ita in publico, ſæpe ad loquendum caritas patriæ nos inducit: in quo multo præſtantior linguæ utilitas verſatur. Itaq; ne ullius tunc favor aut metus obrigeſcere eam faciat, caveamus. Si enim inter amicos regnare debet παῤῥησία καὶ ἁπάντων κοινότης, monitore Ariſtotele; quid hos decebit, qui non unius, ſed commune omnium bonum indagaturi conveniunt? Graviſſime Camillus ap. Liv. V, LI. cum tribunis pl. ita obloquitur: *Et nunc quieſcerem & tacerem libenter, niſi hæc quoq; pro patria dimicatio eſſet: cui deeſſe, quoad vita ſuppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas eſt.* Eant, & diſcant hoc magiſtro, qui præpotentes & gratioſos pecorum ritu ſequuntur; qui cum deberent eſſe vocales & liquidæ, conſonantes ſunt aut mutæ. Sed rurſus ab aliis provide monitum, ne libertatem dicendi, verbis aut nimis acribus, aut nimis multis corrumpamus. *Non implenda eſt curia verbis*, ait ille Dranci, apud πολιτικώτατον poëtam, Æn. XI. Cujusmodi crepitacula quam majeſtas loci, tam negotiorum varietas refutat. Eadem igitur lingua, cujus facundiam ſæpe implorat patria, qua totos ſæpe dies eximit, prudenter aliquando infantiam imitabitur, immo in ſilentium uſq; deſcendet, τὰ μὲν εἰπεῖν, τὰ δὲ σιωπῆσαι δυναμένη; quod de Chryſanthio notat Eunap. in ejus vita. De antiquis Romanis Valerius M. l. II. c. II. *Adeo autem magna*

*cari-*

*caritate patriæ omnes tenebantur, ut arcana consilia patrum conscriptorum multis sæculis nemo senator enuntiaverit.* Exemplum, si quod usquam, sine exemplo: adeo rara laus est, non esse perfidum ac perjurum. Nisi quod de Venetorum consilio, quod appellant *de' Pregati*, ex viris composito plusquam trecentis, non absimilia jactant Itali. Hactenus de linguæ ministerio.

Dextram armamus pro patria calamo, & ense. Non raro enim stringere calamum, vel utilitas reip. vel gloria monet. Ex priori genere (quanquam & ad secundum ratione quadam refert Cic. dialogo I. de Leg.) maxime est historia: qua de cum Ovid. ex Trist. II. dixeris: *Et pius est, patriæ facta referre, labor.* Sed & alterum aliqui sunt secuti, cogitantes illud, *Cur somno inerti deseram patriæ decus?* qualis etiam confessio Scævolæ Sammarthani, in dedic. libri I. Lyricor. *patriæ ornandæ me tanta cupido Impulit.* Quo consilio adornata sit Æneis, condignum majestate Romani imperii opus, & veluti fastigium illius, quod jure suo *divinum* appellat imitator Statius; haud ignorant, qui paullo sunt humaniores: ut cum ceteris laudibus, tum gravitate propositi alios longe poëtas antegressus sit Virgilius. Nam Hesiodus quidem (dicam ore Velleii, l, VII.) *vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret, patriamq; & parentes testatus est; sed patriam, quia multatus ab ea erat, contumeliosissime.* Ergo

cum eminentiſſimi duo poëtæ, alter in dextram partem, alter in ſiniſtram exceſſerint, Maronis æmula prudentia ivit per medium. Idem enim & propter patriam, & de patria ſcripſit, ſed honorifice; neq; id ſemel iterumq;, ſed toto argumento; quod ipſum natura & artificio tale eſt, ut nec poëtæ, nec gloriæ Romanæ & Auguſtæ, cujus ipſa velut fundamenta jacit, ullum fingi poſſit convenientius. De Pharſalia certe (ſi tamen poëmatis accenſenda) humilius aliquanto ſentientem, firmavit præjudicium appellati modo Galli, Pædotroph. lib. I. *Fors erit, ut majora canam, cum triſtis Enyo Deſierit cæcos armare in mutua Celtas Vulnera, & externo quæſitus ab hoſte triumphus Auſpiciis, HENRICE, tuis, fortiſſime regum, Materies aderit noſtris accepta Camœnis. Ecquis enim patriæ naſci de funere vates Gaudeat, & proprio ſua ſanguine carmina fœdet?*

Quæſitum eſt autem, cum decus patriæ ſit ſcribentis Cynoſura, an illius indecora facta litteris tradere ſit conceſſum? Abnuit Jo. Ciampolus, in Proſis, diſſ. VI. ca. VI. Thucydidem atq; Ciceronem ſuggillans, ac neſcio cujus damni auctores ferens: quorum ille veteres Athenienſes, impuros pro tyrannicidis colentes, refutavit; hic toto lib. II. de Divinat. myſteria vanæ religionis riſit. Cui quidem rei & inepte, & periculoſe adhibet tritum illud conſultorum, *Error communis jus facit:* Liviani

viani vero operis præfationem, in qua de fabula Martis, contra ſe magis, quam pro ſeſe adducit. Nos diverſo modulo metiemur, qui res patriæ ex profeſſo narrant, ut hiſtorici; & qui in eas incidunt, aut certum ipſarum genus explicant, ut oratores. Hiſtoricum ulli parcere nefas habemus. Etenim cur inventa eſt hiſtoria? cur tractatur? cur *lux veritatis* prædicatur? quia ſcilicet res geſtas pandit. Per hoc diſterminat eam à poëmate Cicero, in ingreſſu lib. I. de LL. ab argumento & fabula Cornificius, ad Her. I, VIII. Dicit enim: *Hiſtoria eſt res geſta, ſed ab ætatis noſtræ* (in hoc non plane me conſentientem habet) *memoria remota.* Ut cum ceteræ dotes, quas requirunt, eloquentiam dico & judicium, in hiſtoria τὸ ἓυ εἶναι præſtent; veritas ſola ad τὸ εἶναι faciat. Quomodo igitur ſuſtinebit hoc nomen, quæ ſciens vel non geſta, vel aliter geſta docet, vel geſta etiam non docet; i. e. mutat aut mutilat? Nempe hiſtoria, ut ſentit ille, *eſt religioſæ orationis ſub teſtibus fides:* nec plus ei, quam judici, licet, qui omnium caritatum negligens, merita ſola ad libellam revocat.

Quid, quod eadem non tam patriæ ſcribitur, quam univerſo? Negabunt gentes, juſtum eſſe privilegium, quod ipſarum jura minuat. Id adeo hic fit; non tam quia libertatem judicandi, quam nonnulli ſtatuunt, ipſis eripiat falſitas ſignificationis; quam quatenus ſalubri

 de-

defraudantur exemplo. Nam ſuper alia, quæ hinc exſiſtere poſſunt, commoda, omnium fere intereſt, ipſius etiam patriæ, intacta non eſſe ſcelera & errata. Sed omnino in hoc negotio ſequentia cautionis momenta teneamus. Primo conſulendum judicium, an ergo ſit pretium talia referre, & ſecus credita deſtruere. Tum deinde gravi examine veritas eſt limanda. Neq; ingenii oſtentatio, aut iræ fervor, ſed communis utilitas verum exprimat.

Deniq; reverentiæ erga patriam memor ſit oratio, i. e. (ut Gellio, in re ſimili diſerto, utar interprete) *lenis & verecunda, ac ſine deteſtatione nimia, ſineq; opprobratione acerba reprehenſionis.* Qua fine colores admiſcere hiſtoricum non vetem. Aſt meminiſſe oportet, quosdam ex his rem infuſcare, ac lectoris animum à ſenſu veritatis auferre: quas præſtigias exterminari velim, atq; ad ſophiſtas ablegari. Similiter hi, qui rem fatentur quidem, ſed falſis ſententiis inſtruunt (quod quid aliud eſt, quam lutum luto purgare?) cum hiſtorici gravitate pugnant. Eos vero, qui περίςασιν aliquam laudis aut veniæ capacem occupantes, aut figuram oratoriam, quæ lectori non verveci ſe facile prodat, ingenioſa pietate accerſentes, factum ornant, minime reprehendo: qui præſertim exemplis optimæ notæ ſcriptorum defendantur. Ita Corn. Tac. H. IV, XLIV. *priorum temporum*

*rum necessitates* memorat: quod explanat Cl. Bœcl. de Amnest. p. DC. At vero quos institutum non cogit ulla vel quælibet patriæ facta persequi, nō colorare modo fœdiora cum historicis, sed supprimere possunt ac debent: fallere quidem non debent, nec oratores ipsi aut poëtæ. Quare igitur Cicero non tacuit, quæ taceri, ipso arbitro, intererat patriæ? quia philosophus excutiebat rem communem, veritatem: quia nec turpe hoc patriæ, nec damnosum judicabat. Doctis enim (ut aliunde colligas) scribebat, non vulgo: quod nec redimebat scripta philosophantium, quippe inops; nec perlegebat, quippe rude & incuriosum. Fac tamen perlegisse: id quoq; damnosum negat ipse Cicero, cujus ἀπολογίαν, admirandam sane, ex dicto libro subjiciam: *Nam ut vere*, inquit, *loquamur, superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atq; hominum imbecillitatem occupavit: quod & in iis libris dictum est, qui sunt de natura deorum, & hac disputatione id maxime egimus: multum enim & nobismet ipsis, & nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur: nam & majorum instituta tueri sacris cærimoniisq; retinendis, sapientis est; & esse præstantem aliquam æternamq; naturam, & eam suspiciendam admirandamq; hominum generi, pulcritudo mundi ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri. Quamobrem ut religio*

*ligio propaganda etiam est, quæ est juncta cum cognitione naturæ: sic superstitionis stirpes omnes elidendæ sunt. Instat enim, & urget, & quocunq; te verteris, persequitur.* Mitto, quod arcano consilio extudisse Deus ethnico videtur sublimioris sapientiæ secretum: ut hoc alii testimonio, nec tantum hi, qui plures uno, sed & qui nullum Deum (rem multo magis incredibilem) credunt, promtius & revincerentur & confunderentur.

Nunc post pacis operas, bellicas quoq; percurremus: nam & has deberi patriæ, mille in locis sapientes profitentur. Digna Hectore sententia, Iliad. XII. quam & alibi poëta repetit: εἶς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Qua voce & fortitudinem suam indicat, & pietatem plusquam ethnicam: nam & gentilium auguria obscurat, & divinam interim voluntatem de patria propugnanda magnifice declarat. Idem deniq; dicit, quod in II. de Divinat. philosophus Romanus: *Virtutis auspiciis est utendum, quæ vetat spectare fortunam, dum præstetur fides.* Ceterum ut sumenda esse arma pro justa vel ambigua patriæ caussa satis constat; ita quid palam injusta expetat, incertum. De quo hæc mea est sententia: satellitem scelerum esse, non licere; nec tamen eo minus, ut vel nocenti patriæ succurramus, pietatis ac prudentiæ esse. Ejus rei caussam repeto à natura belli: in quo si pœna crimini perpetua talione æquaretur, quod dicerem,

rem, non haberem. Nunc fere gravius est remediis, quam delicta sunt, *nec sat rationis in armis:* neq; moribus duntaxat infinitum sibi jus arrogant, quos justa armavit ira; sed reperti etiam ex viris doctis, qui hanc licentiam legi naturæ adscriberent. Quidni igitur amator patriæ inæqualia, quantum in se, redigeret ad æqualitatem, opponendo hosti, si is potentior, vires suas; si debilior, moderationem; si par, fortunam?

Interim legibus quibusdam, velut septo, hoc negotium includi nihil moror. Principio enim abhorrendum animo patriæ facinus: præterea & ante, & in bello ad satisfactionem persuadendam opportunitas nulla dimittenda: secundum hæc ab omni nimio rigore temperandum, ita ut scuto potius, quam telo, uti videare, neq; adeo offendas, nisi cum offensio defensionis rationem induit. Exemplum præbet Æneas, illud specimen pietatis, cujus dextra in bello Trojano (quod in halosin desiit) si fides carminibus, neutiquam torpebat: caussam tamen nec comprobavit, & dissuasit, apud Dictyn Cret. l. II. Inde est, quod etiam tales ob fidem hostibus laudantur: sicut Romanos, illos quidem callide, ad Hannibalem dixisse refert Justinus, XXXIV, IV. *Non bella eum Romanorum magis odio, quam patriæ amore gessisse, cui ab optimo quoq; etiam spiritus ipse debeatur. Has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bel-*

*landi*

*landi caussas esse.* Quod autem posui, prætentandam serio conciliationem; id omni in bello, etiam justo devotus patriæ servabit; maxime in civilibus, quæ sunt ὠδῖνες patriæ, parturientis regnum aut excidium. μακάριοι (dicit Salvator, Matth. V. comm. IX.) οἱ εἰρηνοποιοί· ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. Quare igitur audio, bella, bella in ore tam sæpe esse his, qui consilio principes regunt? O boni, itane in vobis *Sævit amor ferri, & scelerata insania belli?* ad quam perpelli ut posset Virgilianus ille Turnus, Alecto inferis sedibus excitanda erat. Augustum principem *ulli genti sine justis &* (attende) *necessariis caussis bellum intulisse*, negat Sueton. Aug. XXII. Idem in Hadriano laudat Pausan. l. I. Non hi, amabo, pudorem incusserint nobis Christianis? qui sæpe tanto rerum hominumq; periculo dominationem nobis asserimus. Sequamur itaq; oraculum Gerhardi, Aphoris. Theol. XXI, LVI. & LVII. *Omnia prius experiri, quam arma capere, magistratum decet: nec nisi extrema necessitate reip. id exigente ad bellum accedat; perinde ut medici ad ustiones & sectiones. Ut pecunia* (ita prosequitur ex Lud. Vive) *nostro arbitrio aleæ exposita, ilico alieni fit juris: ita magistratus & tota ditio in sortem eventus conjicitur, moto bello.*

Quod si nullus recomponendis animis locus, auxilium, quale & quantum potest, admovendum patriæ.

Nocet

Nocet enim, qui tali rerum facie non prodest: parq; est injuria damnum inferentis, & non propulsantis. Et quidem admovendum per tempus, *dum distinet hostem Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ:* ne fiat, Dum deliberat Roma, perit Saguntus. Proditioni scilicet affinis est cunctatio. Gratis etiam, si res familiaris patitur, publica exigit, militandum. Quanquam (verba sunt Cicer. pro Balbo, quæ sequuntur) *pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sunt, qui, nullis præmiis propositis, vidam suam hostium telis objecerint.* Nec mors ad ultimum, si ita res ferat, subterfugienda: quem locum tractant Rhetorica ad Herenn. IV, XLII. & XLIII. Cic. I. de Off. non veritus est pronuntiare: *Pro patria quis bonus dubitet mortem oppetere, si sit ei profuturus?* Erudite conditionem addit: qui enim (ut pleriq;) iracundia, gloria, stupore incitatus in mortem ruit, non patriæ vitam consecrat, sed sibi.

Itaq; consumta virtute fugam petere licet, atq; adeo oportet. Quo dirigitur oratio L. Lentuli, descripta Livio, IX, IV. Probem igitur Lacænam, quæ in filium, ex pugna reducem, laterculum jaculata, occisis reliquis supervivere eum noluit? quod dignum tamen putavit memoria Plut. apophth. Spart. &, qui versibus excepit, Marullus, Epigram. l. II. Nulla est fortitudo, sine prudentiæ contubernio. *Animus paratus ad periculum, si sua*

*cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis.* Cic. ex Platone, Off. I. Hinc apud Ægyptios in templorum vestibulis ponebantur Sphinges, ut ex Strabone scimus: quod ἱερογλυφικὸν fuisse prudentiæ robori copulatæ, docuit nos Synes. de provid. Nimirum per omnes virtutes, ut justitia, ita fusa est prudentia: cujus ob id prudenter in finitione virtutis meminit Aristoteles. Igitur cum ex officio faciant, qui pro salute publica mortem excipiunt; quale μαρτύριον illos consequi dicam, qui contra patriam stantes occumbunt? Sane, me judice, nec miles iverit contra patriam nisi servandi, quam lædendi animo; nec dux., ut eat, subegerit: quanquam admittere volentem potest. Finge tamen subigi me; quod accidit T. Quinctio, apud Liv. VII, XXXIX. quid tum fecero? non periturus sum potius, quam perditurus? Immo Quinctii prudentiam æmulabor, qui trahentibus paruit, sed quomodo? Jam primum non erat *voluntate quicquam facturus*, nisi *vim adhiberi ac metum placuisset.* Ad hæc, ita se parabat, ut *suo magis impetu, quam consilio ducis*, omnia gererent. Quid amplius? occasione pacis oblata; & factis, *plenus lacrymarum*, & verbis efficacissimis furentes commitigavit.

Postquam indicavi, quemadmodum patriæ inserviremus corpore atq; animo, de fortunis quoq; subjungam.

gam. Namq; & hæc extraria bona, quæ civitatis beneficio tenemus (velut pecunias, aut quæ pecunia æstimantur, & existimationem) prodigere civitati, si opus est, oportet; sin minus, decet. Quo referamus, qui se in ultimis voluntatibus memores patriæ probarunt; exemplo Procli philosophi: is enim μετὰ Ἀρχιάδαν ταῖς πόλεσι καταλέλοιπε κλήματα, πατρίδι τε τῇ ἑαυτῆς, καὶ ταῖς Ἀθήναις; quod Marino credimus. Imitatus ille, de quo Scævola, l. CI. π. de Legat. III. dignus sane, qui in tam illustri positus monumento, perpetua sæculorum admiratione celebraretur. Digni vero & hi, qui bibliothecarum, armorum, & si qua plura vel utilia, vel voluptuosa, heredem scribunt patriam: quo factitando sapienter & merito gradum ἀξίας, in quo constituit ipsam natura, intuentur. Ideo recte *legata incerta circa locum, reducuntur ad certitudinem, ut locus patriæ & domicilii intelligatur.* Card. Tuschus, concl. CXXXIII. Laudabilia hæc: illud necessarium, ut exhaustum fiscum privatis opibus sublevemus; moniti memorabili facto Agesilai, de quo in Vitis excell. imp. XVII, VII. Eum si sequi cupimus, quibuscunq; rebus tempestive, & ultro, & laboriose, & copiose, & frequenter, nobis interim inopes, juvemus patriam necesse est.

Nec facultates modo, sed, quod *alterum patrimonium est*, ut nonnemo veterum habet, generoso inprimis,

honorem etiam patriæ impendamus. Intelligo, quam durum ſit, quod poſtulem. *Inventi multi ſunt* (ita Cic. Off. I.) *qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent: iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne rep. quidem poſtulante.* Quod exemplis Callicratidis, ex Xenoph. ἑλλην. α. & Cleombroti, ex ejusd. ἑλλ. ζ. amplius demonſtrat; opponens illis Q. Maximum, de quo Ennius: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem: Non ponebat enim rumores ante ſalutem. Ergo poſtq; magisq; viri nunc gloria claret.* In hoc vere maximi ducis facto, & vel magis in poëtæ verbis, ingentis ſolatii materiam inveniunt, quos in ſimilem caſum fortuna refert. Neq; enim infamiam, quæ, item ut teſtimonium, ex bonorum judicio pendet, excepiſſe cunctatorem dicit, ſed *rumores:* qui quid ſint, finit, indeq; elevat, alius poëta, de IV. Honor. conſul. Vult hoc panegyrico Claudianus ſphæram quandam effingere philoſophiæ moralis & civilis, & ſub Theodoſii principis nomine, prudenti ac modeſta proſopopœia, Honorium filium erudire: quamobrem inter alia *rumores* ita ſuadet deſpicere: *qui talia curat, inanes Horrebit ſtrepitus, nulla non anxius hora.* Ecce, ſtrepitus inanes vocat; qui ſolida deſtituti veritate, facile, bullæ inſtar, vaneſcunt, atq; acceſſum dant veræ *gloriæ:* quod diuturnitatis nomen eſt, Enniano verſiculo non omiſſum. Ho-

norem

norem ergo qui pro patria amittit, non amittit, ſed amittere videtur, idq; ad tempus, & hac lege atq; omine, ut majores inde vires acquirat. Ideoq;, quod *gloriæ jacturam* hoc loco populariter vocat Cicero, emendat in Catil. I. ubi φιλοσοφικώτερον: *Hoc animo ſemper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.*

Dixi de his, quæ communiter patriæ ſunt præſtanda: nunc me ſingulæ ejus partes vocant, ut conſtet quodammodo, quid perſonis civitatis, quid rebus debeatur. In perſonis prior ſe offert ipſe populus: cui, quod perſonæ rebus ſunt excellentiores, non raro ſoli ſe communicat patriæ nomen. Quare in libello, qui adſcribitur Thomæ, de regim. princ. III, IV. miſtim uſurpatur ab explicante, nomen *patriæ, reip. populi, multitudinis, communitatis.* Inde eſt illud, non eſſe in parietibus patriam. Tametſi vero de toto maxime loquimur, ſæpe tamen habendus pro patria numerus populi major, ſecundum hoc Prudentii: *in paucis jam deficiente caterva Nec perſona ſita eſt patriæ, nec curia conſtat.* Interdum etiam pauciores, ut concilium optimatium, aut ſinguli, ut reges, vicem populi, atq; adeo patriæ, ſuſtinent: quoniam his populus voluntatem ſuam pacto tacito aut diſerto ita ſummiſit, ut publica ipſorum acta pro ſuis haberi velit. Propterea Naſo ad Auguſtum, Tr. V, II. *ò patriæ per te florentis imago!* Quod pluribus expreſſit, de

Pont. II, VIII. *Hunc ego cum ſpectem, videor mihi cernere Romam: Nam patriæ faciem ſuſtinet ille ſuæ.* Niſi forte ingenioſiſſimus laudator hoc dicit, in fronte Auguſti conſpicuam eſſe Romanam illam majeſtatem & decus. Quid autem imperantibus, eorumq; vicariis, uti & ſingulis privatorum dandum ſit, alii fere perſcripſerunt. In præſenti igitur ſolum de juſſis principum inhoneſtis, & quidem ἐν ὑποθέσει, accipe.

Notiſſimum eſt ex Spartiano & Victore, Papinianum juſſum non excuſaſſe fratricidium Caracallæ, cum verbo: *Haudquaquam pari facilitate velari parricidium, qua fieret.* Diſplicet hoc Bodino, de Rep. III, IV. quem præter alios inſectatur Grot. in not. ad J. B. II, VII, I. quaſi *Papinianum reprehenderit, quod mori, quam conſcientiam lædere, maluerit.* Sed, ut ego rem video, bipartita quæſtio eſt: an J. C. recte detrectaverit imperium, &, an prudenter dicto tam acerbo perſtrinxerit tyrannum. Prius, & meritiſſimo, ait Grotius: nam profecto mos geri quamlibet principi nullo modo potuit. Excuſare enim flagitia, quid aliud eſt, quam conſenſu approbare? Jure igitur idem Grot. inter hos, qui in partem delicti veniunt, edit, *qui conſilium dant, laudant, aſſentantur*, J. B. & P. II, XVII, V. & II, XXI, I. Et de quo tandem flagitio agebatur? quo nullum triſtius, de parricidio: unde *aſperrimum crimen* (τραχύτατον ἁμάρτημα

The-

Theophilo) dicitur Imperatori, §. VI. J. de publ. jud. id excusaret, quæso, Papinianus, illud oraculum veritatis, ille juris antistes? Obtemperaret sobrius insano, dignationemq; suam vili macularet obsequio? Quid? qui concordiæ suasor hactenus exstiterat, se ipse redargueret, laudaretq; in Cæsare, quod totiens in aliis prædamnaverat? Innocentem accusaret, mortuo obtrectaret, i. e. ut ipse interpretatus perhibetur, *aliud parricidium committeret?* & hoc in curia, templo bonæ mentis & justitiæ, in tot gravissimorum senum consessu, ante aram alicujus dei? minime gentium; etiamsi factum commendasset publica salus. Nunc autem illa vel maxime reclamabat. Excusare enim scelus, est dicendo efficere, ut scelus non esse, vel non tantum videatur: quæ pestifera est persuasio, & ad licentiam peccatis dandam comparata. Nam qui elevat, suadet; eo quidem efficacius, quo est dignitate, gravitate, sapientia conspectior. Inprimis autem tyranno illecebra peccandi fuisset successus. Semel deliquit Caracalla? iterum potuit: semel jussit excusationem? potuit bis ac sæpius. Objiceretur enim repugnanti: leviora excusa, qui colorem omnium gravissimis dedisti. Quantum per hoc vir incomparabilis auctoritati, innocentiæ, fidei suæ derogasset? non apud tyrannum modo, sed & alios, novo reip. malo. Deniq;, ut verbo me expediam, mentitus esset: cujus rei vis omnis in eo est, ut noceat.

Nam

Nam in hoc recedo paullisper ab eruditis, qui mendacium ac veritatem æstimant ex jure quodam intelligendi aliena & judicandi, concesso nobis à natura cum ipso intellectu ac judicio, aut etiam (dissentiunt enim) orto ex tacito quodam pacto. Certe πολυπραγμοσύνη, ac non jus est, intelligere velle, quæ à rationibus tuis sint aliena, juxta illud pervagatissimum, *Tua quod nil refert, percontari desinas.* Itaq; planius forsan, atq; ad omnes nodos explicandos accommodatius dixeris: juris naturæ vocem esse, *Neminem lædas.* Lædere autem vel vi possumus, vel fraude, quæ & ipsa vis quædam interna est, quam judicio impediendo, quasi arietem, admovemus: hæc alias nudis factis tenetur, alias verba in subsidium vocat. Si quis ergo orationis falsitate damno alterius (quo & irrisionem comprehendo) præludat, eum mentiri judicabo: ut quidem anima hujus criminis, quæ verbis quasi corpore continetur, sit dolus malus; cujus interdictio est fundamentum veritatis. Proprio igitur apposito, *mendacium in damnum potens*, dixit vates.

Jam (ut domum redeamus) mendacium hoc primarium & τραγικώτερον quot aliis minutis tegendum erat, ut placeret parricidium, ac tyranno satisfieret? Ex his enim deligendum alterum erat: aut mentiendum gnaviter, aut contrahenda offensa, & hinc malum, tanquam

quam velato capite, exſpectandum. Subſcripſerunt huic ſententiæ, præter Grotium, Jac. Lectius, Orat. de vita & ſcript. Papin. Bernegg. ad Juſtin. XVI, I, IV. Beſold. de arcan. rerump. c. I. & in Papinianea ſecuri: qui objurgat è contrario Wolſæum Cardinalem, excuſantem Pontifici inceſta & divortia Henrici Angli. Etiam Marinus, nominatiſſimus hodie apud Italos poëta, illud *juris aſylum & doctrinæ legalis theſaurum* his complorat, in opuſculo, cui titulus, *La Galeria:*

*Perch' io ſcuſar non volli*
*Del parricidio tuo l' empio peccato,*
*Faceſti del mio ſangue i ſaſſi molli,*
*Tiranno diſpietato.*
*Ma ſe ben tu di ſpada iniquo, e rio*
*Mi dannaſti à morire,*
*Tronco fù di ſecure il capo mio;*
*Perche colui ferire*
*Spada ingiuſta non ſeppe, nè deuea,*
*Che la reſſe ſi giuſta in man d' Aſtrea.*

Sed aut ego, aut acumen illud, ex hiſtoria depromtum, non nihil eſt obtuſum: quod non minus ſecures, quam gladius, juſtitiæ deſerviunt, quamvis hodie gladius illi maxime per μετωνυμίαν appingatur. Interim, ne pietate cuiquam cederem, ingentis viri memoriam hoc epigrammate conſecrare deſtinavi:

*Quisquis ſe genio potentiorum*
*Aptans, juſtitiam manu maligna*
*Diſpenſat, videat Papinianum.*
*Is vitam citius dedit tyranno,*
*Quam ſacræ Themidi neganda verba:*
*Et, tanquam reus eſſet ipſe cædis,*
*Sparſiſſetq; Getæ cruore matrem,*
*Errantis tulit impetum ſecuris.*
*Sed ſanguis tamen hoc fluens ab ictu*
*Prolixum peperit decus beato:*
*Quod prolixius hoc poteſt videri,*
*Exemplo quoniam caret ſecundo.*
*Multos ſæcula jurium peritos,*
*Unum ſed tulerunt Papinianum.*

Juſtus igitur ille, qui injuſta mandata recuſavit: ſed Bodinus, aut me omnia fallunt, de recuſandi modo agit, quem admirari Lectium, J. C. doctiſſimum, miror. Deſinerem autem mirari, ſi conſtaret prævidiſſe Papinianum, exitium ſibi, ut diſſimili morum principis, ut verendo, ut concordiæ fautori, etiam extra hoc parari, i. e. nulla modeſtia deliniri ſævientem potuiſſe: quo quidem & τὸ εἰκὸσ, & Spartiani Geta pæne ducunt. *Poſt hæc* (ait ſcriptor) *deniq; & Papinianus, & multi alii interemti ſunt, qui vel concordiæ faverant, vel qui partium Getæ fuerant.* Id ſi non proſpexit, male utiq; facto adjecit dictum

adeo

adeo mordax, vehemens, abruptum: quod si jactum fuisset in non principem, tamen fortasse non cupide applauderem. Priscæ veritatis verbum est, sive Andocidæ imputandum, sive Pythagoræ, Πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν. Ira enim, ut olim flamma, non ibi consistit, unde cœpit: evagatur, & proxima quæq; incendio involvit. Hinc & Casistæ, quos vocant, ad correptionem fraternam exigunt, non modo *notitiam peccati*, & *spem fructus*, sed *opportunitatem temporis*, quæ spem ipsius fructus auget; itemq; *condimentum mansuetudinis ac lenitatis*, ex Ep. ad Gal. VI, I. & ad Tim. II, II, XXV. Quo majoris erat imprudentiæ, rerum potentem, sui impotem, & cum ingenio, quamvis dissimularet puer, tum recenti flagitio ad effundendum sanguinem duratum, amaris dictis lacerare, i. e. furialibus facibus in se pariter & remp. armare. Eheu, quid vis tibi, miser? *floribus Austrum* (huic enim assimilat potentes Sen. Ep. XIV.) *Perditus, & liquidis immittis fontibus apros.* Non venire in mentem tibi Platonis? qui Ep. VII ad Dionis propinquos scribit: *Hoc eodem animo erga patriam suam affectum vivere prudentem virum oportet. Dicere quidem, si quid non recte administrari ei videatur; sed ea lege, si futurum putet, ut neq; frustra dicat, neq; dicendo vitæ periculum incurrat.* Quod fit, si frenis leniter motis furentem leonem flectas. *Sciant* igitur, *quibus moris illicita*

 *mirari*,

*mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumq; ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo pleriq; per abrupta, sed in nullum reip. usum, ambitiosa morte inclaruerunt.* Retuli verba Corn. Taciti, ex Agr. XLII. Quanquam non ambitioni, sed ζήλῳ justitiæ (nam secundum illud Publianum, *Bono justitiæ proxima est severitas*) Papiniani factum assignamus, eaq; ratione facile condonamus: quod fecit etiam Bodinus, cum *fortiter* dixisse *hominem divinissimum* confitetur. Sed nescio, quo pacto Gallus iste fere omnium obelos, & in omnibus, experitur: sive hoc quasi fataliter quibusdam evenit, sive eadem ratio ipsos premit, quæ argentarios; qui ubi semel & iterum de mensa surrexerint, semper eorum timetur fides. Ita Grotius eodem loco in eundem incurrit, tanquam defenderet naufragorum bona fisco addicentes: cum alia omnia legantur, lib. I. de Rep. cap. X. pag. CCLXVII. De personis quidem hactenus.

Res patriæ vel sunt corporales, ut ædificia, agri, limites; cujus loci est liberalitas Eumenii, in schola restauranda, quam oratio ejus de hoc argumento promulgat: vel incorporales, ut nomen; quod acceptum à patria modis omnibus venerari & exosculari convenit. Inde Germani (testor Tacitum, H. IV, XXVIII.) *infestius in Ubiis prædas agebant, quod gens Germanicæ originis,*

*ejura-*

*ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes vocaretur.* Qua notabili majorum religione & exemplo monitus, patriam urbem malim ex Antonino R*egium*, aut ex tab. itin. Velſeriana *Reginonem*, aut *Reginum* ex Aimon. *Reginam civitatem*, *Reginoburgum* (licet à Reginobirga derivet Aventinus) G*ermanisbemium*, *Ratisbonam*, ex diplom. & annal. Franc. & Fuld. aliisq; (nam *Imbripolis* heri natum, & ineptum, & hybrida) quam cum veteris opprobrii nota, *Auguſtam Tiberii*, vel, ut habet Imp. Notitia, *Regina caſtra* ſalutare. Etſi in nominis inani ſono momentum haud adeo magnum, niſi ab animo utentis aut alicunde aliquod accedat, ineſſe fateor.

Ad nomen, etiam mandata patriæ devenerari, ſuperius mandatum præcipit. Eſt enim juris, quod gentium primævum vocant, *ut parentibus & patriæ pareamus.* l. I I. π̃. de J. & J. Non poſſum præterire nobilem Platonis locum, in Critone, quo complectitur ejus obſequii gradum, modum, materiam & cauſſam effectricem. *Siccine ſapis*, ait, *te ut fugerit, & matre, & patre, & reliquis progenitoribus omnibus digniorem eſſe patriam, venerabilioremq́ᵹ, & ſanctiorem, & in ſuperiore ſorte cum apud deos, tum apud homines mentis compotes, & colendam, & magis obſequendam, ac ſtudiis propitiandam patriam rigidiorem, quam parentem, & aut diſſuadendum,*

*aut agendum, quicquid jusserit, ac patiendum patienter, si quid pati imperaverit? Et seu verberari, seu vinciri coëgerit, sive in bello sauciari, aut necari, faciendum. Jus enim ita statuit: nec tergiversandum, nec fugiendum, nec deserendus ordo: sed & in bello, & in foro, & ubiq; exequendum, quod injunxerit civitas atq; patria: aut certe persuasionibus, quatenus licet, occurrendum. Sed vim opponere neq; matri, neq; patri fas est, minime vero omnium patriæ.* Juri igitur naturali, etiam civili Romanorum, obsistit, qui obsistit patriæ, ad publicum munus vocanti, quo præsertim dignus sit: *nam civem patriæ utilitatibus, quatenus potest, aufert*, cum ipse, tum pater, qui reluctatur. l. III. §. V. Dig. de mun. & hon. Favet huic rationi senarius Syri mimographi: *Exsilium patitur, patriæ qui se denegat.* Dictum Platonicum, in epist. quad. ad Architam, ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ, decantatissimum est; conversum quoq; Ciceroni, Off. I. & strictim, de Fin. II. Imitatur liber ad Herenn. IV, XLIII. & Ulpian. l. I. §. XV. de ventre in poss. mitt. Fluxit hinc illud Secundi, de Trajano, paneg. cap. V. *Cogi porro non poteras, nisi periculo patriæ, & nutatione reip. Obstinatum enim tibi, non suscipere imperium, nisi servandum fuisset.*

Quocirca valeat ignavum illud, & Plutarcho ex merito impugnatum, λάθε βιώσας; sive Pythagoræ sit, ut traditur à Marino; sive Neoclis, fratris Epicuri,

ut

ut vult Suidas, & cum hoc Gaſſend. Vit. Epic. I, VIII. Iniquus eſt, & laſcivienti ſimilis equo, qui, cum ſentiat commoda, onera ſuccuſſat. Ne quis autem roget, an hæc illos quoq; attingant, quos vel mentis corporisq; habitus, vel fortuna impares reddit ſubeundo oneri, prævertendum ultro mihi ſentio. Excuſabimus igitur vocanti patriæ indignitatem. Non audit excuſantes? relinquitur ergo, ut nos illam audiamus, ut inſumamus patriæ, quod valemus; quod non valemus, fide & induſtria ſuppleamus. Epictet. Enchir. XXXI. Τίνα οὖν ἕξω, φησὶ, χώραν ἐν τῇ πόλει; ἣν ἂν δύνῃ, φυλάττων ἅμα τὸν πιστὸν καὶ αἰδήμονα. Nam locus quidem Plinianus, quem modo attuli, argumento ſervit, atq; ad modeſtiam principis extollendam natus eſt. Quærat, aut queratur alius, ſe ampliore dignum, aut potitum olim, gradu: ignominiam meditari, dum ad humiliora vocet, patria. *Majoribus honoribus functos ad minores devocari non oportere, rationis eſt*, ajunt Impp. l. 11. Cod. quemadmod. civ. mun. induc. At ſunt arma, quibus depellas ὕβριν, deprecatio, &, ſi infirmius hoc auxilium, tolerantia, ſupra ex Platone commendata. Vile eſt, quod obtigit, munus? tanto facilius explebis, tanto plus ornabis. Digniora accumulabit patria, ſi animi tui in levioribus fecerit periculum.

Poſtremo tantus ſibi quisq; eſſe debet, quantus eſt

patriæ;

patriæ; ſuumq; potius, quam hujus judicium damnare. Sed pleriq; adeo ſibi blandiuntur, ut non tantum modeſtiæ, ſed ne veritatis quidem modulo utentes, Hercules ſe putent, cum Pygmæi ſint. Ex mandato etiam, ſed tacito agunt, qui deſertas reip. partes, quibus ſe aptos inveniunt, licitis modis, ac vel prenſando, ultro ambiunt. In quo id juſtitiæ eſt, ut indigno competitori pectus, digniori terga obvertamus: æque digno certare, honeſtum eſt, cum ſibi quemq; natura maxime commendaverit; cedere, etiam generoſum. De reliquo exſpectanda patriæ ſententia, curandumq;, ut ea ſecuta ἕκαστος ἐκπληρώσῃ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον.

Præcipuum autem mandatorum reip. genus ſunt leges, quibus ſi volumus obſequelam facere, quam debemus, ſedulo eas pernoſcamus, poſthabitis alienis aut exoletis. Craſſus apud Cic. de Orat. I. *Ac ſi nos, id quod maxime debet, noſtra patria delectat; cujus rei tanta vis eſt, ac tanta natura, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati eſſe debemus in ejusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus eſt virtutis, imperii, dignitatis? cujus primum nobis mens, mos, diſciplina nota eſſe debet; vel quia eſt patria parens omnium noſtrum, vel quia tanta ſapientia fuiſſe in jure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus im-*

*perii*

*perii comparandis.* Easdem cognitas & probatas ore, ſtilo, ſanguine defendamus, nec temere mutemus, & virtutes his præceptas effuſis brachiis ſtringamus. Doceat hoc nos Hierocles: *Oportet autem*, inquit, *etiam leges patriæ, tanquam alteros deos, obſervare, & ſecundum ipſarum præſcriptum ſe perficere. Quod ſi quis migrare eas, aut novare tentet, omni opera morandus, & modis omnibus oppugnandus eſt. Non enim bonum civitatis ſtudium, contemtus legum, & novorum ab antiquis ſeparatio. Quare & à ſuffragiis, & à calore talis innovationis prohibendi, ſi qui contumacius id agant.* Quæ cuncta non de privatis modo legibus exaudiri volumus, ſed vel præcipue de his, quæ deſcriptionem publici ſtatus continent.

Ex quibus cognoſcendum primo, qui juxta ipſas jure proprio, qui precario imperent; tum quid utrisq; ἀπολόμωσ conferatur; aut, verbis philoſophi, ὅσ δεῖ, καὶ τίνων εἶναι κυρίουσ, καὶ πόιαν τινὰ δεῖ γίγνεσθαι τὴν ἄιρεσιν αὐτῶν: idq; eo, ut ſuum cuiq; tribui poſſit. Sed hæc ut quemlibet ſibi ſapere oportet, qui boni civis laudem affectat, forte etiam amicis; ita publicis ſcriptis agitare ſæpe intutum, arrogans, & concordiæ inimicum, prudenterq; interdum ab ipſis legibus repreſſum. Illud nemo reprehendat, ſi factis ſilentio opertis, fontes rationum, quibus ſententia exploratæ veritatis inſiſtit, & quaſi pars prima ſyllogiſmi, tanquam à fideli doctore,

non tanquam à ſuperciliofo judice, explicentur. Verum paucis in explicando ea modeſtia, in explorando prudentia eſt: modici enim hodie philoſophiam civilem, cujus præſidium hæc maxime invocant, ex ipſius mente & voto colunt. Ejus rei fideliſſimum eſt indicium, quod de Germaniæ ſtatu tot ſententiæ, quot reip. fere genera: id quod vix ulli præterea imperio accidit.

Sunt, qui uni, ſunt, qui optimatibus ſubeſſe jurent: alii miſtam ex omnibus, alii ex duobus generibus, non dubitant; ſed utrum prægravet, novo diſſidio ambigunt: temperamentum & aliquibus placuit: & tamen eſt ſententia, omnibus his adverſa, quæ id, quod imperium vocari eſt uſitatum, ex pluribus puſillis rebusp. arctiſſimo nexu in unum ζύςημα colligatis extruit, & propter hoc ἀναλογίαν magis, quam verum civitatis nomen, ei concedit; à qua non abhorrere credas Thuanum, lib. II. hiſt. Ejus fere modi reſp. Acarnanum, Lyciorum, Ætolorum, & maxime Achæorum; quam Ubboni Emmio ex Polybio, Livio, Pauſania, Plutarcho, breviter cum reliquis deſcriptam, noſtris verſandam diligenter putem. Noſcenda igitur hæc jura, & interpretanda imperitis, quoniam quidem ob id ſcribuntur & publicantur; ſed quatenus communi utilitati, cui leges ipſæ deſtinantur, ſatis eſt; & eam ad finem, ut amplectamur & ſervemus.

Eorum

Eorum autem, qui publica patriæ jura male conservant, duo maxime sunt greges: quorum alter importunus magis, quam damnosus; alter minimo latratu maxime mordet. De illo sunt, qui morosi temeritate judicii in transversum acti, imperii patrii formam palam fastidiunt; sive quo sapientiores videantur, sive proprii commodi studio, vel deniq; ingenio hominum, nova ferme præoptantium. Ita qui sub regno agunt, libertatis bona & legum imperium prædicant; qui in libertate, regali splendore capiuntur. Nobiles mallent imperium singulare, honesti optimum, proletarii promiscuum: & sub imperio singulari his electio, illis successio, paucissimis id, quod sacratis legibus, placet: neq; incommoda, quæ ubiq; emergunt ingentia, nec tempora gentisq; indolem respiciunt; illius quoq; obliti, quod ἐυγνώμων, ὁ μὴ λυπȣ́μενοσ ἐφ οἷσ μὴ ἔχει, ἀλλὰ χαίρων ἐν οἷσ ἔχει. Est porro alia natio eorum, qui callida ambitione, semperq; cum læsæ majestatis crimine conjuncta, jura non data in se trahunt. Sicuti sub unius imperio aliquos aliquando videas, arcanis imperii incubantes, & obsequii specie dominantes: cui rei prætextum sæpe irreligiosissimum commodat religio. His merito ingeras Virgilianum illud, ex Æn. XI. *Cedat: jus proprium regi patriæq; remittat.* Nisi vero digitos amburere, quam ignem non attrectare malint.

Quærunt multi, quid tantos totiens colossos (de ministris principum loquor) ex inopinato sternat? Quid quæritis? idem qui regibus sceptrum dedit, clanculum subtracti injuriam clanculum vindicat, manusq; non initiatas sacris admoventes consumit. In statu plurium quoq; reperias raptores alienæ libertatis lupos, & amicos monadis, *quibus ipsi patriæ manus inferre, & fascibus suis illam premere, potentia ac dignitas est:* de quo conqueritur irata pietas Senecæ, de Benef. V, XV. & XVI. Sed aliorum jura imminuere, & veteres turbare fines, quid est aliud, quam publicum furtum? cui nonnunquam comes est perjurium; utriusq; vero pedissequa, Nemesis. De Arminio Germanorum duce narrat prudentissimus scriptor, annal. II, LXXXVIII. *Regnum affectans, libertatem popularium* (utpote *Germanum Scythicumq; bonum.* Lucan. l. VII.) *adversam habuit: petitusq; armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit.* Quanto melius Timoleontis vestigia legisset? qui generoso exemplo (rideant licet male callidi isti) *cum frater ejus, Timophanes, dux à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsq; regni posset esse; tantum abfuit à societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti; & patriæ legibus obtemperare satius duxerit, quam imperare patriæ.* Scriptum hoc est, manebitq; æternum, à

Ne-

Nepote, XX, I. Itaq; non erat, ut Lipsius Pol. IV, IX, XXXIV. commendaret Augustum illud, *insurgere paullatim, munia legum & magistratuum in se trahere.* Nisi forte justitiæ res duntaxat corporales sunt subjectæ.

Atq; hic locus est differendi de spiritibus ὀλιγαρχικοῖς, quos in tanta ingeniorum diversitate nulla fere resp. libera non experitur, pro lege habentes fatale libertati carmen, Αἰεὶ ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων: de quibus post Platonem & Aristot. optime hujus discipulus, Theophr. in Charact. Pollux Onom. l. III. Sallust. Catil. XX. & Or. II. de rep. ord. & fragm. hist. l. I. verbis, *Postquam remoto.* Flor. III, XII. & XIII. Casaub. ad Suet. Aug. LI. (quem civilitatis, quod exponit, genus principatui aptare miror) & complures. Sed & hos à tergo pœna, damnum aut ludibrium, plerunq; sequitur: ut vere judicaverit, hoc intuens, Cicero, in primo de Offic. *Qui in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, his nihil potest esse dementius.* Sapiens igitur ex diverso Theognidis propositum: Πατρίδα κοσμήσω λιπαρὴν πόλιν, οὔτ' ἐπὶ δήμῳ Τρέψας, οὔτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος. Nec Phocylidem pœnitere debeat voti sui: Πολλὰ μέσουσιν ἄριστα· μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.

Et hæc omnia, quæ usq; adhuc recensui, ita vera puto, ut etiam invitæ patriæ (nisi coactio ipsa valde sit

luctuosa) debeant reddi; utiq; si hoc non facto ruinam, aut certe non mediocre damnum passura videatur. Etsi enim, si jus summum spectes, renitenti beneficium non datur; cum abdicare se quisq; suo jure, & alteri condonare possit: caritatis tamen lex vel compellere interdum ad beneficium admittendum jubet. Quid? si hominem telo incumbentem, aut fluvio se mergentem videam, non accurram? non, ut vivat, cogam? ut maxime ad auxilium meum excandescat, ac pro malo beneficium spernat. Quo justius in discrimine patriæ, cujus tot priora in nos merita, ponderabimus, non quid illa recipere velit, sed quid nos conferre oporteat: nec committemus, ut ratio nostra ab illius errore victa videatur. Scilicet, ut injuriæ, sic beneficia, non pendent semper ex voluntate patientis, sed honestatis norma.

Intelligo, ais, de beneficio invitæ exhibendo: quid si insuper sit ingrata? Dicam, quod sentio: ingrati ream qui facit patriam (ignoscite Scipiones, quorum dolori justo & nos ignoscimus) is, quid faciat, nescit. Est enim ingratus, qui accepti dememinit beneficii: atqui nemo, cum omnia patriæ præstiterit, quæ per vires licuit, beneficium hoc interpretari, sed officium, debet. Nequiter, inquam, aut imperite calculum ponit, qui hic accepta cum expensis ita confert, ut creditorem se dicat, aut (quod minus impudens, sed peræque falsum) debito-

bitorem neget. Injustum tamen esse dicis, quod criminatur, vexat, exturbat innocentem, quod non agnoscit animum & labores tuos. De hoc ipsa viderit: tu interim ad justitiam divinæ voluntatis potius, quam injustitiam patriæ refer, & perfer potius, quam vindica. Illud cogita, *ut parentum sævitiam, sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse,* Scilicet hoc ἐπιείκεια suadet, quæ infirmitates humanas divina sua moderatione corrigit: hoc pepigisti, cum civili te cœtui jungeres, civili animo laturum, quicquid imperantes decrevissent egissentve, nec personam eorum auctoritatemve dictis aut factis læsurum: hoc percepta tot bona exigunt, quorum memoriam una vel altera injuria, quantumvis atroci, aboleri nefas.

Bene ergo colligit Bodin. de Rep. II, V. *Justa caussa nulla videri potest, adversus patriam arma capiendi.* Sed in exemplo, cui hæc accommodat, plurifariam offendit, Germanicarumq; rerum ignorantiam fatetur: quam nos jam quercum non excutimus, qui à recentibus exemplis studio temperamus. Impera igitur dolori, & cave excidant tibi voces Junii Liviani, XXII, LIX. *Revideam ego in patriam, trecentis nummis non æstimatus civis?* aut si quæ sunt similes. Nec te moveat Alcibiadis ratio: qui *prædicare consueverat* (refert Nepos, VII, IV.) *se non adversus patriam, sed inimicos suos, bellum*

*gef-*

*gessisse, quod iidem hostes essent civitati. Nam cum intelligerent, se plurimum prodesse reip. ex ea ejecisse plusq; iræ suæ, quam utilitati communi, paruisse.*

Ejusmodi pigmenta & σοφὰ φάρμακα turpitudinem facti tegunt, non tollunt. Quæ de injuriis patriæ, i. e. totius civitatis, vel eorum, in quos se civitas convertit, universe disputavi, devocarunt alii ad quæstionem de injuriis principum; & in his Blondus, eques Italus, Eromen. lib. I. in ficto Thalassiæ adulteratæ argumento. Et quidem eo loco duo ponit: offensiones principis injuste vindicari; egregie, si infinita polleat potestate, & si, cum non pollet, vindicta eximatur judicialis: dein, privatos injuriis à principe affici non posse; quod, nisi de harum accipias effectu, h. e. efficaci in humano judicio actione (id quod ad priorem quæstionem redit) merito exsibilat Thalassiæ conjux: tametsi ratio, quam assignat, color est, & contrarium magis firmat. Ita servum à domino injuriam posse accipere, ostendit Sen. de Benef. III, XXII. Ex his aliquatenus est perspicuum, quid patria in sese spectata indulgeri sibi postulet.

Incidit vero persæpe, ut res aliæ cum patria concurrant, quæ & ipsæ amore sui nos trahant & constringant: unde pendet animus, cum in ambas nequeat (nam hoc intelligi velim) utram in partem sit flectendum. Quapropter in aciem velut rem deducamus: quo pateat ex

con-

conflictu, quando vel vincatur patria, vel vincat. Primum omnium illud constat, si patria consistat, cum Deo, anteponendum illum, cui patria ipsa subest; juxta dictum, μέχρι βωμῶν. Eam ob rem, si patria, à religione sincera (quæ Dei caussa est) aliena, recte sentientes bello cetera justo petat; quiescent utiq; arma mea: ne, quantum reip. patriæ addunt, tantum ecclesiasticæ detrahant. Ego ut brachium meum commodem ei, qui destruit verum numinis cultum, & supponit fictum? ut mutilem corpus Christi, & fiam instrumentum hostis Christi? Malo neglectæ corporum salutis, quam animarum, reus agi. Plura Grotius, re & nomine magnus, de J. B. II, XV, XI.

Sed si componatur patria cum universo, utrum prævalebit? universitas certe, cujus illa est particula. Ex quo apparet, quod supra demonstravimus, historicum turpitudines patriæ nec silere, nec in virtutes transfigurare posse: ne, dum uni orbis angulo consulit, majorem partem prodat; à qua censetur auctoratus, ut religatis velut oculis infamiam sceleri, pudor; laudem reddat; cogitetq; non adulandam patriam, sed reverendam esse. Atq; hinc est, quod vulgo dicitur, fini universali reliquos cedere oportere. Illud οὐδὲ πάρεργον est attexendum: quod toti hominum genti, etiam nullo affecti singulari beneficio, obstringamur, ejus rei caussas videri

duas. Prior numen respicit, quod per homines, imaginem suam, quodammodo colitur, Genes. IX, VI. ut dictum vere sit, *Deus propter se diligitur, & homo propter Deum:* posterior nos ipsos, quorum pars quædam separabilis & propinquus (sint licet propinquitatis gradus) unusquilibet est homo; cum ab eadem stirpe, contra quam sit in brutis, omnes simus. Id ut ex ethnicis quidam agnoverunt, quod vel pretiosum indicat Florentini dictum, l. III. π̃. de J. & J. ita qui diversas diversorum origines crediderunt, velut hodie Sinenses, & qui se olim αὐτόχθονας gloriabantur, defensi à Pherecyde Lerio, integris libris X. sed derisi Cynico, qui cum muribus & lumbricis commune hoc eis dictitabat, & confutati Lactantio, II, XII. hi quo pacto satis intelligere potuerint humanæ consociationis jura, non intelligo.

Transgrediamur nunc ad hoc, cum quibus fiducia, quam ex corrupto, *fede*, feudi appellatione signant, est contracta. Non negabo, plurimum his deberi: at quanto plus desiderat bonorum omnium datrix patria? Ferat igitur palmam; assentientibus Feudistis, ut Vult. l. f. X. n. XXXI. Goth. Anton. Disp. feud. VII, IV. Rosenth. in tr. juris feud. cap. X. concl. XVIII. num. VI. Schrad. tr. feud. part. VI. c. VI. n. LX. qui addunt, si dominus vasalli proditor sit patriæ ipsius, accusari posse à fideli; cum alioqui judicio capitis arcessi nequeat: & patriæ domino

minio ſubſidium ferri oportere, adverſus dominum feudi. De eo tamen, quod ligium & homologum vocant, dubitare curioſus queat, utrumne potior ejus, quam patriæ, ſit habenda ratio? Ac de altero ejus genere, quod Baldus *ſubligium*, alii analogice & reſpective ligium appellaverunt, quo diſerte excipitur ſuperior, definita res eſt: alterum, quod abſolute & proprie dictum demonſtratur, neminem excipit, quia profecto cum civili vinculo concurrit; ideoq; opponi patriæ nequit. Sufficiant hæc in præſens de materia, quæ ignoratione civilis doctrina, & hinc ſcriptorum non modo inter ſe, ſed à ſe ipſis diſſenſione implicata, dignum jamdudum vindicem exſpectat.

Deinceps cognatos amicosq; cum patria committamus: qui omnes, verbo dicam, patriæ herbam porrigunt. Quo manifeſtius in patriam impii, quibus propinquitas aut amicitia, emta præſertim, eſt pro merito. Iſtud quidem eſt, ex juſtitia, quam appellant, diſtributrice commutativam facere: quo negligentia ſola aut ignorantia homines adduci reor, Difficile namq; creditu, malle quem fluxum alterius bonum propriis & æternis anteferre, & conferre beneficium, pro quo præmium cedat Tartarus. Nihil enim gravius remp. affligit, ejusq; harmoniam turbat, quam communis hæc & malefica beneficentia: ex qua (veluti ex electione indigni ad offi-

 cium

cium publicum) ſi damnum fecerit civitas, ad reſarciendum ei tenebitur auctor; non minus quam competitori damni ſui æſtimationem exigere licet. Grot. J. B. II, XVII, III. Diverſus ab hoc more Scipio Naſica,, ethnicus: de quo Vell. Pat. II, III. *patriam cognationi præferens.* Ac de parentibus quidem, qui in hoc ordine reſtim ducunt, ſuffragatur Val. Max. V, VI. his verbis: *Patriæ majeſtati etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum vires ſuas ſubjecit.*

Forſitan moretur aliquem exemplum Perollæ, dignum ſane lectu, in hiſtoria Liviana, XXIII, VIII. & IX. Verum enimvero ſi poſt diſſenſum patris rem Perolla effectu difficilem credidit, nihil huc pertinet: ſin amore ſolo parentis fractus eſt, veniam meretur juvenis pietatis ſpecie deceptus, imitationem quidem non meretur. Dubites etiam hoc loco, an vere proditum ſit à pragmaticis, licite obtruncari patrem, aut etiam fratrem liberosve, venientes contra patriam? Card. Tuſch. pract. concl. CXXXIII. & CXXXIV. Quod conceſſerim tandem affirmantibus, ſi alia ratione & per alios occurri certo excidio reip. aut principis nequeat. Sed cum non temere hoc eveniat, verum hactenus effatum eſt Juſtini, XVI, I. *In parricidio nulla ſatis juſta cauſſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt.* Secundas occupant liberi, de quibus Tragicus quidam ἄδηλοσ: Φιλῶ τέκν᾽,

ἀλλὰ

ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. *Fraterna quoq; caritas* (ſcribit rurſum Valerius) *æquo animo ac libenti cedit, ſumma quidem cum ratione: quia everſa domo intentatus reip. ſtatus manere poteſt; urbis ruina penates omnium trahat ſecum neceſſe eſt.* De conjugibus autem Hierocles: *Eſt & alia ratio, quæ parentibus ſimul ambobus honore patriam præferre monet; neq; his tantum, ſed & una uxori & liberis, & univerſe omnibus aliis poſt deos.* Nec me turbat Euſtathius, apud quem Iſmene ad Iſmeniam l. V. *Tu mihi patria es, tu parentes, nuptiæ, ſponſus, dominusq;.* Et viciſſim Iſmenias ad Iſmenen: *Amor patria, parentibus, fortunis, omniq; beata ædium ſupellectile carior eſt.* Sed vel cæcus videt, amantium figuram eſſe: quo velut tectorio fuga coloratur. Venio ad amicos: contra quos patronum patriæ damus Popilium, qui in Epitome Trogi, XXXIV, III. *faceſſere privatam amicitiam jubet, cum mandata patriæ intercedant.* Quod ſi & de hoſpitibus ambigis, Timotheum interroga, qui cum Jaſone hoſpite, populi juſſu, bellum geſſit; *patriæq; ſanctiora jura, quam hoſpitii eſſe duxit.* Corn. Nep. XIII, IV.

Suppetunt plura teſtimonia: ſed nec res, opinor, dubitabilis, neq; ego locos communes vili opera molior. Omnium tamen inſtar eſt, qui omnium jam dictorum ſummam continet, locus Cic. Off. I. ubi factis gradibus ſocietatum, ita demum ſubjungitur: *Sed ſi con-*

 *tentio*

*tentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, princeps sunt patria & parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus: proximi liberi totaq; domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibus communis etiam plerunq; fortuna est. Quamobrem necessaria vitæ præsidia debentur iis maxime, quos dixi. Vita autem victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes, in amicis vigent maxime, estque ea jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.* Idem pressius, in calce ejus lib. *In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quod cuique præstet, intelligi possit; ut prima diis immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.* Ciceronem sequitur, uti quidem solet, Ambros. Offic. I, XXVII. *Justitiæ autem pietas est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes.* Eodem nititur, sed inversa ratione, Euripidis calculus, in Supplicibus: Φιλεῖν μὲν οὖν χρὴ τοὺσ σοφοὺσ πρῶτον τέκνα, ἔπειτα τοκέασ, πατρίδα θ᾽, ἣν αὔξειν χρεὼν, καὶ μὴ κατάξαι. Hæc Euripides.

Est autem ratio hujus ordinis sita in binis legibus, natura homini inditis. Quoniam enim accidit, ut ex collisione legum, quæ Dei, patriæ, aliorumq; caritatem exposcunt, oriatur aliquando pugna, & ita, ut una de-

serta

ſerta alteram ſequi ſit neceſſe; ſe ipſam interpretata eſt natura, cum alias duas, ex quibus definiendæ liti ſeligi poſſit una, adinvenit. Harum prior eſt, Pars concedat toti. In quo fere ſervatur ordo, quem dixit Ariſtoteles, ab his, quæ notiora nobis, & κατὰ τὴν αἴσθησιν, ad notiora natura, ſeu ἁπλῶς, & κατὰ τὸν λόγον. Hinc officiorum ſcalam (ut ſic loquar) ita conformabimus, ut primus gradus genus humanum, medius civitatem, noviſſimus neceſſarios ſingulos ac ſodales maneat. Alterius formula eſt, liberior copula cedat arctiori. Cum iis vero colligatio nobis eſt, quorum ad nos profectum eſt aliquod beneficium; & in his præcipue Deo, patriæ (quam idcirco in bonis extrariis enumerat Rhetor, de Invent. II. f.) parentibus, præceptoribus, hoſpitibus, patronis, ob excellentiam beneficii, devincimur; rurſum in his poſt Deum (qui inexhauſtus benignitatis fons eſt ac theſaurus) patriæ, ob ejus excellentiæ ἀκμήν; ſi præſertim ad ordinaria, ut ita dicam, ſingulare acceſſerit beneficium. Ideo Livius, in oratione M. Junii, XXII, LIX. *Utemini nobis jam promtioribus pro patria, quod beneficio veſtro redemti atq; in patriam reſtituti fuerimus.* Sed cum huic obligationi imperfectæ annexa ſit perfecta, puta conventio, & commune naturæ de juvanda hominum ſocietate edictum; nihil hac copula in humanis fortius exiſtimandum eſt. Commode Abr. Scultetus,

Ethic.

Ethic. I, V. *Exteris jure tantummodo uno, humanitatis nimirum; cognatis duplici ſumus devincti; triplici vero magiſtratui & patriæ, humanitatis, quia ejus ſocietas conſtat ex hominibus, cognationis, quia noſtrorum cognatorum ſalutem continet, deniq; peculiaris fœderis, quo ipſi maxime ſumus obligati.*

De caritate patriæ quæ proponere inſtitueram, finivi: cujus ſuaviſſimos fructus quotiens mecum puto, cum ipſe miro ejus amore inardeſco, tum alios ſegnius inardeſcere dolens, exclamo, *O fortunati nimium, ſua ſi bona norint!* Inde enim pax & ſerenitas conſcientiæ: inde humano in foro ſecuritas. Quamobrem Cic. in Partit. *Aut jure factum depellitur, aut ulciſcendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut deniq; neceſſitate, inſcitia, caſu.* Inde omnifarii honores. Thom. Aquinas, de regim. princ. III, IV. *Amor patriæ ſuper ceteras virtutes gradum meretur honoris: hoc autem,* inquit, *eſt dominium:* quod exemplo Romanorum firmat. Inde immortalis gloria: qualem in eo, qui pro patria fortiter præliatur, deſcribit Tyrtæus, de virtute militari; cujus carmen utinam eam haberet in animis noſtris efficacitatem, quam in conciliandа Spartanis victoria habuiſſe creditur. Non temere Virgilius in regia Pici (cujus ſub imagine baſilicam depingi, ſunt, qui putent) effigies collocat regum, *Martia*

*qui*

*qui ob patriam pugnando vulnera passi.* Et quanta hinc utilitas? *O patria, si te, quotquot hoc habitant solum, Pariter amarent, ut ego, nos feliciter Ageremus, & tu nulla patereris mala.* Ita vere & gloriari, & polliceri mihi liceat cum Euripide, ex versione Grotii, Exc. Trag. & Com. p. CCCLXXXVI. Nimirum *quicquid patriæ prodest, singulis etiam partibus est commune: Totum est enim nullum sine partibus;* quod ait, & exemplo manus ac digitorum illuminat Hierocles. Sed quid fugientes loquor utilitates? cum profecto constet, gentibus etiam, *omnibus, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur.* Cic. Somn. Scip. Post Philosophum inculcat hoc Poëta, Æne. VI. dum in Elysio domicilium assignat assertoribus patriæ, Catilinis atque proditoribus (in quo secutus videtur ultima verba Catilinariæ primæ) in Averno.

Ergo (ut cludamus hunc tractatum loco Tulliano, ex Officior. dicto sæpe libro I. qui totum prope argumentum in summam colligit) *quoniam ut præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes* (quæ duo verba insitiva censet Car. Langius, Observ. ad Cicer.) *vindicant, partem amici; atq;, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum*

*caussa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*

T. Θ. Δ.



# ADDENDA.

AD pag. 2. *Patriam ex eo nominari, quod pl.*] Conf. p. V.

Pag. 6. *Roma communis nostra patria*] Vide Juret. ad Symmach. Ep. V, XCII.

Pag. 14. *Inclinationem voluntatis in bonum*] Ita παχυλῶσ cum aliis descripsimus. Accuratius, caritas est dilectio cum honore; dilectio, amor cum ratione; amor, affectus persequens bonum; affectus, motus animæ sentientis appetitivæ, ex objectu boni vel mali. Honorem, nescio, an intelligant, quibus *caritas*, nativæ significationis contemplatione, est in eo, ut *magni æstimes, quod diligas.*

Pag. 15. *Paulus ad Rom. XIII.*] Et explicatius I. ad Cor. XIII.

P. 16

P. 16. *Ut Tranquillus hariolatur*] Ex hoc ipſo amore, ſuffragante actorum fide.

P. 19. *Impatienter certe, & ingrate*) Hujusmodi querelæ, quæ tamen non modo τοῖσ ἔξω σοφοῖσ, ſed etiam Chriſtianis familiares ſunt, cum ſatius eſſet conſulere, quam accuſare, plerunque mihi improbantur. Primum enim, neſcio, quomodo nobilitatem hominis, bonitatem Dei elevant: Subinde manſuetudine vacant, & reſipiunt animum anguſtum, aut vitium ætatis: Inique etiam aut improvide rationes ſubducunt, ut conveniat in auctores dictum Comici, *Tu id, quod boni eſt, excerpis; dicis, quod mali eſt:* Ne de fine & fructu adverſitatum dicam. Excipio, qui non tam queruntur & exaggerant, quam docent; qui infelicitatem hujus vitæ componunt cum felicitate ſecuturæ; qui talibus argumentis ſecuram ſuperbiam retundunt; aut fœditatem peccati, adeoque cauſſam ex effectis, demonſtrant: Quo pertinent ipſi ſcriptores ἔνθεοι. Qualia opportune forſan monuiſſet Hornejus, Ethic. I, III.

P. 20. *Quantum amor ex eo cap.*) Cic. in Lælio ita exprimit: *Nec modo in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet: Cum locis etiam ipſis montoſis delectemur, & ſilveſtribus, in quibus diutius commorati ſumus.*

P. 22. *Maximeq́ eminentiorum gratia*) Duplex emi-

 nen-

nentia eſt, originis, ὡσ εἰπεῖν, & gradus. Illa propria eſt imperantium, ex qua, veluti ex cauſſa, quoad ſuum bene eſſe, pendent, qui reguntur: Cui rei convenit *Patrum* appellatio. Iſta communis etiam privatorum multis, ita tamen, ut & ipſa eminenter tribuatur imperantibus: Quippe qui ætate, aut certe canitie quadam animi, aliisve cœli muneribus, antecedere alios ſolent, aut cenſentur: Unde *Senatores*, & *Principes*. Quare & honor, qui his debetur, quiq; eminentiam reſpicit, duplex eſt.

P. 23. *Jo. Bapt. Egnatius*) Quin & Seneca apud Senecam, in Octavia tragœdia, v. CCCCLXIIX. *Sic ille patriæ primus Auguſtus parens:* Inter Cæſares nempe, decreto publico, & uſu confirmato. Et ſpecioſe auliceq;, ut ita loquar, hoc dicitur apud aures Neronis, itidem Cæſaris: Cujus nominis ſplendor facile obſcurabat reip. veteris acta.

P. 28. *In aurei de Offic. commentarii lib. I.*) Et copioſius lib. II. Sunt autem hi libri, etiam Joach. Camerario judice, *vere aurei, & cum ob rerum, quæ in his tractantur, pondus, tum ſententiarum gravitatem, tum etiam elegantiam & copiam elocutionis, in hoc genere æquabili ac temperato, recte & hujus auctoris aliis, & omnibus aliorum ſcriptis linguæ Latinæ præferri poſſunt.* Illud certe habent eximium, quod ſelectiſſima argumenta graviſſimo judicio tractata pauciſſimis comprehendunt. Eoq; habendi

ſunt

ſunt pro ſeminario utiliſſimarum diſputationum moralium & civilium. Noſtra certe diſſertatio nihil aliud eſt, quam commentarius quidam in pleniſſimum de caritate patriæ locum, quem in fine modo exhibuimus. Quod inſtitutum ſi ſequi aliis placeret, facile tam ſpiſſi & pragmatici & principibus nonnullis dilectiſſimi operis exactam haberemus interpretationem.

P. 32. *Eoq; pro leviore malo)* Quod vel ex ordine Decalogi clareſcit.

Ib. *Aut conſternatione ag.)* Tac. A. III, IX. *Pavidis conſilia in incerto ſunt.*

P. 38. *Pro patriæ ſtatu)* In eam ſcientiam & ſcientiæ cujusq; partem incumbendum maxime, unde plurimum utilitatis in patriam efflореſcit: Tum ratione partium ejus, ita ut magis ſint diſcenda, quæ ad partes reip. plures, aut majores, aut præſtantiores, idq; ἀμέσως, pertinent; ſicut civilis ſcientia, quæ totam remp. complectitur, anteit forenſi, utraq; philologiæ, quæ aliis magis ſcientiis, quam ipſi reip. ſervit: tum ratione diſciplinæ & modi gubernandi civitatem; quoniam, ut eloquentiæ pro diverſo reip. genere eadem forma non eſt, aliterq; dixit Tullius in Senatu, aliter ad Quirites, aliter ad Cæſarem dominantem; ita nec reliquæ eruditionis; majoremq; operam (e. g.) dederit Livio Venetus, Tacito Gallus; niſi quod Livius omne imperii genus expreſſit: Tum

 reſpe-

respectu interiorum reip. rationum, veluti quod aliæ nituntur bello, aliæ commerciis: Tum respectu loci, sicut Germanus prius & impensius perdidicerit statuta patriæ, & sanctiones imperii præsentis, quam diversi; maritimo profuerit exquisitior juris maritimi prudentia, & Consulatus aliquis Maris: Tum respectu temporum, quæ vel quieta, vel domi aut foris turbulenta: Et si quæ sunt hujusmodi, quæ ad studia ordinanda plurimum valent; vere ut dici possit, aliam remp. alias doctrinas postulare. Nisi tale sit ingenium, quod angustiis unius scientiæ coërceri se non patiatur: Heroicæ enim naturæ leges non accipiunt.

Ib. *Plus fere intertrimenti*) Ex mediocriter doctis, magistra experientia, omnes fere in rep. turbæ, ipsumq; illud monstrum ἀκέφαλον, cui nomen Atheismo. De quo dicturus alibi.

Ib. *Omnes ad lucrum unice*) Negabis esse injustum, sapientia frui, & ablegabis me ad Tacitum, A. XI, VII. Ideo & Minervã dicere in fabulis, *Oliva nobis propter fructum est gratior*. Sed respondet Ulpianus, lib. VIII. de omnibus tribunalibus: *Quædam tametsi inhoneste accipiantur, inhoneste tamen petuntur*. Ego hoc plus dicam: Sit lucrandus ille panis inter fines, non sit solus finis, aut præcipuus: Quoniam quidem in modis acquirendæ rei cœpit esse, & Alchymiæ locum occupare, quod animo

locu-

locupletando natura destinavit. Vide, quæso, Phædr. fab. XXII. de mustela & homine.

P. 39. *Invidiose demoliamur)* Satis notum (etsi, ut quisq; est deterrimus, ita minimè cogitat, dolet, declinat) quid propter indoctos istos aut barbare doctos Itali, Galli, Batavi de tota natione nostra judicent.

P. 44. *Verbis aut nimis acribus)* Adi Melch. Junium, Quæst. XXIV. part. 1.

P 46. *Si tamen poëmatis accens.)* Malim historicis adscribere Lucanum, vel propter ea, quæ Petronius disputat, subjecto etiam specimine, utinam adhuc integro, de eodem belli civilis argumento: Plane quasi Lucanum in ordinem voluisset redigere.

P. 49. *Fallere quidem non deb.)* Istud fallere ex animo fallendi æstimatur. Neq; enim (e. g.) fallit, multo minus fallitur, gravissimus vates, quemq; totum ingenium dixeris; cum Elisam, argumenti & εὐπρεπείας caussa, Æneæ σύγχρονον fingit.

P. 51. *Nec sat rationis in armis)* Hannibal ap. Sil. Ital. lib. I I. *notum, quid cæde calentibus armis, Quantum iræ liceat, motusq; audeat ensis.* Et Lycus in Hercule Furente, v. CCCCII. *arma non servant modum, Nec temperari facile, nec reprimi potest Stricti ensis ira: Bella delectat cruor.*

P. 52. *Tota dictio in sortem eventus conjicitur)* Sen.
Theb.

Theb. v. DCXXVII. *Licet arma longe miles ac late explicet, Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt. Quodcunq; Mars decernit, exequat duos, Licet impares ſint, gladius: & ſpes & metus Sors cæca verſat. præmium incertum petis, Certum ſcelus.*

P. 53. *Probem igitur Lacænam?*) Nam errorem parricidio junxit. Etſi muliebris animus, fortitudinis, & patriæ amans (ſed hic cæcus amor, de quo pag. XXV.) levat crimen. Sæpe miror tam ſecure philoſophantes (nam Val. Maximus, Vellejus, Florus rhetores potius agunt) ut hæc & talia facta laudent ἁπλῶς: Qualia feruntur Codri, Deciorum, Curtii, Philænorum, religioſiora certe, quam prudentiora. Nam primi tres, & maxime rex ille ultimus Athenienſium, obliti, qui eſſent, ex caſu in caſum remp. dederunt, & ſemel, quam ſemper, huic prodeſſe maluerunt: Curtio, ut patriam orbaret eo, quo plurimum valere videbatur, obſcuriſſimum ſuffecit reſponſum: Poſtremi palmum terræ fidorum civium animæ prætulerunt, & fraudem ſanguine ſuo confirmarunt; primum in alios, tum in ſe injurii. Omitto, quod non pietas hæc fuit, ſed impietas, ſed αὐτοχειρία; nec conſilium Dei, ſed ſtropha & techna Satanæ: quam deprehendere ex re ipſa cum debebant, tum poterant, ut aliorum ethnicorum de ἀνθρωποθυσίαις & oraculis judicia probant. Nam, per Deum, quid aliud reſponderet Pythia,

thia, aut conjecturas, si argento ab hostibus fuissent corrupti, aut quid aliud his optandum erat, quam ab istis factum? *Hoc Ithacus velit, hoc magno mercentur Atridæ.* Usq; adeo suopte semper indicio, veluti sorex, proditur malignus ille spiritus: Cui tantum in infelices licuisse, miror & miseror. Laudare interim ipsos nequeo, nisi κατά τι: Quod quidem fieri, & æquitatis est, & prudentiæ, propter Christianos; quibus, si Deo placet, nemo tale quippiam temere exprobaverit.

P. 60. *Sit dolus malus)* In eo propriam ponimus differentiam mendacii: De quo mox agemus, si Deus annuerit, singulari dissertatione, ad quam lectorem delegamus.

P. 83. *In bonis extrariis enumerat Rhetor)* Quia non simplicis boni caussa est. Terentius quoq;, Heaut. I, II, XX, inter bona naturalia, quorum & catalogum exhibet, & descriptionem μάλα φιλοσοφικὴν, nominat *patriam incolumem.*



| Menda præcipua. | | | Emendandi ratio. |
|---|---|---|---|
| In carm. J. J. K. v. 4. | | *juvat.* | *juvat, juvat.* |
| Pag. 7. | lin. 16. | *quo.* | *quæ.* |
| 11. | 20. | *propagata.* | *propagatæ.* |
| 14. | 18. | *caritis.* | *caritas.* |
| 16. | 1. | *celeribus.* | *sceleribus.* |
| ib. | 17. | *quales.* | *qualis.* |
| 18. | 17. | πρῶτα. | πρῶτα. |
| 26. | 8. | *injustitia.* | *in justitia.* |
| 32. | 2. | *pyricum.* | *pyrium.* |
| Pag. 42. | lin. 23. | *circumstantiam.* | *circumstantium.* |
| 53. | 10. | *vidam.* | *vitam.* |
| 67. | 19. | *induc.* | *indic.* |
| 73. | 20. | λιπαρήν. | λιπαρὴν. |
| ib. | | τρέψας. | πρέψας. |
| 77. | 20. | *pudor.* | *pudori.* |
| 78. | 7. | *sit.* | *fit.* |
| ib. | 16. | *hoc.* | *hos.* |
| 79. | 11. | *doctrina.* | *doctrinæ.* |



# LECTORI BENEVOLO.

*Si eruditorum consilium sequi voluissem, scriptum hoc inter manus mihi natum (quod vel ex* ADDENDIS *paret) nonum in annum premere debuissem. Cum vero ignorem, quantũ vitæ, quantũ laborum à fatis & rep. expectandum habeam, cumq; in adversariis aliis reposita sint potiora, quæ lucem itidem suspirant; tantam in eo evigilando consumendam esse curam haud putavi, sperans eo faciliorem erratis veniam fore. Nec indicem quidem addidissem schedæ, nisi vir clarus, mihiq; amicus, negligenti hoc persuasisset: Idem, qui orationis textum in plures divisit* περικοπάσ. *Quod reliquum est, cœlum supplex adoro, ut ea, quæ de officiis erga patriam tum hoc, tum doctoribus aliorum scriptis, inprimisq; ratione ipsa, tanquã amplissimo probatissimoq; volumine, continentur, ea factis ipsis ita adumbrare & mihi, & omnibus habentibus patriam liceat, ut serius ocyus hoc solatium in tumulum deferamus, satis nos patriæ vixisse. Tu vero, lector, quo animo hæc offeruntur, accipe, & vale.*

IN-

❧(✿)❧

# INDEX.

## *Lit. A. Addenda significat.*





Feu-









Poë-

FINIS.